SELECTÆ *DEMOSTHENIS* ORATIONES

LATINE Redditæ;

VIZ.

De REPUBLICA *ordinanda.*
De CLASSIBUS.
De RHODIORUM *libertate.*
Pro MEGALOPOLITIS.
OLYNTHIACÆ *tres.*
PHILIPPICÆ *quatuor.*

LONDINI: Typis J. HUGHS.

Impensis A. WARD, C. HITCH & W. REDMAYNE; proſtant etiam apud J. & R. BONWICKE, T. LONGMAN & W. SEWELL, & J. NEWTON.

MDCCXLVI.

DEMOSTHENIS ORATIO SUASORIA,

QUÆ DE

Republ. Ordinanda inſcribitur.

LIBANII Argumentum.

Oratio hæc non jam Philippica eſt, ſed ſuaſoria ſimpliciter. Nam quum Athenienſes de theatrali pecunia deliberaturi conveniſſent, progreſſus in medium Demoſthenes, ſuadet, ut cives in claſſes diſtribuantur, & militando atque periculis pro ſalute Græciæ ſubeundis, veterem dignitatem recuperent. Oſtendit etiam, in comparatione ſtatus præſentis cum vetere, quantum a virtute & excellentia majorum degenerarint.

DE hac pecunia, & iis de rebus propter quas hæc indicta concio eſt, neutrum, Athenienſes, difficile mihi factu eſſe videtur, vel objurgatis illis qui publica diſtribuunt & largiuntur, laudem apud eos invenire, qui rempublicam per hac lædi credunt: vel ſi ſuffrager illis, & horter ad accipiendum, iis gratum facere, qui magna inopia premuntur. Neutri enim publico bono conſiderato, (p.2) negotium hoc vel probant, vel improbant: ſed prout quique vel egent, vel opibus abundant. Ego vero utrum accipiendum ſit, nec ne: id neque ſuadebo, neque diſſuadebo. Moneo tamen ut cogitetis, & ipſi vobiſcum meditemini, argentum hoc de quo deliberatis, exiguum: conſuetudinem una inoleſcentem, eſſe magnam. Quod ſi eam rationem inieritis, ut qui officium ſuum faciunt, ii etiam accipiant: non ſolum non lædetis, ſed maximopere juvabitis tum rempublicam, tum voſmetipſos. Sin ad accipiendum, & feſtum, & cauſa quælibet ſatis erit, de his autem quæ præterea

facienda ſint, ne verbum quidem audire volueritis: providete, ne forte vos, in his quæ nunc recte fieri cenſetis, aliquando vehementer erraſſe judicetis. Ego autem oportere cenſeo (ne vero propter id quod dicam obturbate, ſed re audita judicate) quemádmodum de accipiendo concionem indiximus: ſic etiam de ordinatione republicæ & apparatu bellico indici concionem: & ſingulos non modo ad hæc attente audienda, ſed etiam ad alacriter exequenda promptos eſſe debere: ut, ô Athenienſes, ſpem fortunæ melioris in vobis ipſis habeatis: neque ſciſcitemini, quid rerum iſte vel alius gerat. Ac de reditibus quidem civitatis, & his quæ inſuper ex privato fruſtra nunc impenditis, ſociorumque vectigalibus, unumquemque veſtrum id accipere decere dico, quod æquum eſt, ætate florentes, militare ſtipendium: emeritos, pecuniam ob exercenda judicia, ſeu quo alio titulo rem inſigniri placet. Sed ipſi militabitis, neque eo munere cuiquam cedetis: quo reipublicæ vires domeſticæ ſint, & e civibus inſtructæ: ut nec opes vobis deſint, & vos officio fungamini, & (3) imperator exercitui præſit: & non Athenienſes, eadem quæ hactenus, uſuveniant, ut duces in judiciis vexetis: & hic tandem ſit negotii totius exitus. Iſte iſtius filius, iſtum accuſavit: prætereaque nihil. Sed quid vobis ſtudio habere debetis? Ut ſocii non præſidiorum metu, ſed communicatione utilitatum inter vos & ipſos, vobiſcum ſint conjuncti. Deinde ne duces peregrinis militibus ſocios vexent ac deprædentur, hoſtes ne videant quidem: quarum rerum emolumenta iſtorum propria ſunt, odia & maledicta in totam civitatem redundant: ſed ut cives habeant, quorum opera hoſtes eo modo quo nunc ſocios & amicos affligant. Præterea multæ res veſtram præſentiam deſiderant: & præterquam quod domeſtica bella domeſticis copiis geri conducit, idem ad alia quoque negotia eſt neceſſarium. Nam ſi contenti eſſetis otio, ſecuri quomodo cum Græcis ageretur, alia eſſet ea ratio. Nunc principatum, cæteriſque

risque dicendi juris potestatem vobis arrogatis: exercitum autem qui hæc & intueatur, & tueatur, neque paratum habetis, neque parare studetis: sed vobis otiose desidentibus & dormitantibus Mitylenei libertatem amiserunt: neque minus Rhodii, nostrûm nemine prohibente. At hi, dicat aliquis, fuerunt inimici nostri? Sed odia majora esse debent, Athenienses, in oligarchias, pro instituto nostro defendendæ libertatis, quam contra liberos populos, quæcunque inimicitiarum causæ interceserint. Sed ut eo redeam, unde digressus sum, affirmo, debere vos in ordinem describi, atque ordinem eundem esse tum accipiendi, tum faciendi ea quæ decet. Hisce de rebus prius etiam apud vos disserui (4), & explicavi, quinam ordo inter vos, qui gravem armaturam geritis, & qui equites estis, & qui horum numero non continemini, esset ineundus: & unde communiter omnes liberaliter sustentassent. Quod vero meum animum maxime omnium turbavit, dicam vobis, nec dissimulabo. Nam quum multa & præclara & magna essent ea omnia: nullius e cæteris quisquam meminit: duorum obolorum omnes. Atqui fieri non potest, ut isti majoris pretii sint, quam duorum obolorum: cætera vero, quæ cum his quæ dixi, conjuncta sunt, regis Persarum opes æquant, ut urbs quæ tot probe instructos pedites habet, tot triremes, tot equites, tantos pecuniæ reditus, ordinata & instructa sit. Quid igitur, inquiet aliquis, hæc nunc commemoras? Quia censeo vos oportere (quoniam nonnulli ferendum non putant, ut omnes stipendia mereant: ordinationem vero & instructionem esse utilem, consentiunt omnes) hinc negotium auspicari, & unicuique dare potestatem, dicendæ his de rebus sententiæ. Sic enim se res habet: Si vobis nunc persuaderi sinetis, ut hæc opportuna esse arbitremini: quum ea necessaria vobis fuerint, in promptu habebitis. Sic ut intempestiva negligetis: quum utendum illis esset, tum demum ea comparare cogemini. Jam vero quidam (non plebeius homo, sed

talis qui diſrumperetur, ſi hæc fierent) his fere verbis: Quid tandem fructus, inquit, e Demoſthenis orationibus cepimus? Qui progreſſus, quum ipſi viſum eſt, aures veſtras obtundere ſolet, cavillando præſentem ſtatum, laudandiſque majoribus: ac denique ubi vos concitavit, & inflavit, deſcendit. Ego vero, ſi vobis eorum quæ dico perſuadere aliquid poſſem: tot me utilitates allaturum eſſe reipublicæ putarem, quantas (5) ſi nunc dicere aggrediar, plerique fidem eis abrogaturi eſſent, tanquam majoribus quam quæ fieri poſſint. Enimvero me non parum prodeſſe reipublicæ cenſeo, ſi vos ad optima quæque audienda conſuefaciam. Oportet enim, Athenienſes, ut is qui de civitate noſtra bene mereri cupit, auribus primum veſtris medeatur; corruptæ enim ſunt: adeo multa & falſa, & quævis potius audire, quam ſalutaria, conſuefacti eſtis. Veluti (ne vero mihi quiſquam obturbet, prius quam omnia dixero) recluſerunt nuper quidam ærarium, oratores igitur omnes pro concione dictitabant, abrogatum eſſe ſtatum popularem: interiiſſe leges, & hujus generis alia. Atqui, Athenienſes, conſiderate num vera dicam. Hi qui talia faciunt, capite mulctandi ſunt illi quidem: neque tamen popularis ſtatus per tales abrogatur. Rurſus remos aliquis ſurripuit: flagellandum, torquendum, vociferabantur omnes, abrogari ſtatum popularem dictitantes. Ego vero quid dico? Ea qui faciat, capite mulctandum, æque ut illi: ſed ſtatum popularem per eos abrogari nego. Sed is quomodo abrogetur, nemo dicit, aut palam profiteri audet. Ego vero dicam. Si vos, Athenienſes, male educati, multi & inopes & inermes & incompoſiti, neque eodem modo animati ſitis: ſi neque imperator, neque quiſquam alius decreta veſtra curet: ſi hæc nemo indicare velit, aut corrigere, neque de his malis corrigendis cogitet, aut moliatur quicquam: id quod nunc accidit. Ac medius fidius, Athenienſes, aliæ orationes falſæ ad vos invectæ ſunt,

ſunt, & exitioſæ reipublicæ, ut ſunt, in judiciis veſtra ſalus ſita eſt: &, Suffragio rempublicam conſervetis oportet. Ego vero ſcio iſta (6) judicia privatis controverſiis inter vos dijudicandis & dirimendis eſſe comparata, & ex æquo ſervire omnibus: hoſtes autem armis ſuperandi ſunt, & in his conſiſtit ſalus reipublicæ. Nec enim veſtra ſenatuſconſulta efficient, ut noſtri eos qui ſunt in armis, vincant: ſed ii qui hoſtes armis ſuperant, efficiunt, ut vos & libere conſultare, & quicquid volueritis, ſecure agere poſſitis. Nam in armis formidabile, in judiciis humanos vos eſſe decet. Quod ſi cui grandiora loqui, quam pro natura aut fortuna mea videor: eum ego recte ſentire cenſeo. Nam oratio quæ pro tanta urbe, tantiſque de rebus habetur: ſemper uno quocunque oratore videri major, & ad veſtram, non ad dicentis dignitatem, prope accedere debet. Cur autem eorum nemo quid a vobis honorantur, hæc dicat, ejus rei cauſas ego vobis exponam. Nam qui ad comitia creandorum magiſtratuum, & ad eum ordinem accedunt: ſervilem in modum circumeunt, ab oblandiendum ſuffragiorum favorem: unuſquiſque cupiens imperatorem ſe deſignari, non ullum viri fortis facere opus. Quod ſi quis etiam talis eſt, ut aliquid conari audeat: is nunc gloria & nomine urbis noſtræ munitus, eorum qui adverſentur ſolitudine fretus vos bona ſpe duntaxat eſſe lactandos, neque quicquam aliud agendum: ſe vero bonorum veſtrorum tanquam hæreditatem cernere poſſe, exiſtimat; idque verum eſt. At ſi per voſmetipſos egeritis omnia: ſic ut operum ipſorum, ſic & præmiorum quæ illa ſequuntur, æquam cum cæteris partem habiturum prævidet. Qui autem republicam gerunt, & in eo ſtudio verſantur, utiliſſima dicendi ad vos conſuetudine omiſſa, ſe cum hiſce conjungunt. Ac prius quidem tributum conferebatis: nunc vero tributim rempublicam geritis. Orator dux eſt, & (7) imperator huic obnoxius: & qui partim his, partim

illis ſuffragentur, trecenti. Vos reliqui attributi eſtis auctarii vice, alii his, aliis alii. Ex his igitur rebus hoc conſequimini, ut ille ærea ſtatua ornetur, ille ſit beatus, unus atque alter republica potentiores: reliqui teſtes felicitatis horum ſedetis: & ut ignaviæ veſtræ indulgere poſſitis, multas & magnas opes ac gloriam, quæ in veſtris manibus ſunt, abjicitis, atque iſtis conceditis. Atqui conſiderate, quo in loco hæc apud majores fuerint. Nam quæ agenda ſint, non alienis exemplis, ſed domeſticis uſi, cognoſcatis licet. Illi Themiſtocli, cujus ductu navale prælium ad Salaminem commiſſum eſt, & Miltiadi Marathoniæ pugnæ duci, multiſque aliis qui res longe clariores & utiliores quam his noſtri duces geſſerant, medius fidius non æreas ſtatuas decernebant, neque ſupra modum adamabant, neque (ut qui nulla re populo præſtantiores eſſent) exquiſitis eos afficiebant honoribus. Etenim nullius malorum facinorum gloria ſe fraudabant: neque quiſquam eſt qui navale prælium ad Salaminem Themiſtoclis eſſe dicat, ſed Athenienſium: aut Marathonicam pugnam, Miltiadis, ſed civitatis. Nunc vero vulgus ita loquitur: Corcyram cepit Timotheus, &, Legionem cecidit Iphicrates, &, Navale ad Naxum prælium vicit Chabrias. Ipſi enim videmini, propter honorum magnitudinem, quos propterea ducibus decreviſtis, rerum geſtarum gloria illis cedere. Quin etiam civilia bona ut illi pulchre largiebantur, ſic vos non recte. Peregrina porro munera quomodo illi diſtribuebant? Menoni Pharſalio, qui duodecim argenti talenta ad bellum geſtum in Eione ad Amphipolim (8) ſuppeditarat, & ducentos equites, clientes ſuos ſuppetias miſerat, non civitatem decreverunt, ſed immunitatem tantum dederunt: & ante hunc Perdiccæ (qui, quo tempore Barbarus olim Græciam hoſtiliter invaſerat, rex Macedoniæ fuit, & Barbaros, qui poſt acceptam cladem Platæis recedebant, delevit, & regi Perſarum integram illam ſtragem fecit) non decreverunt civitatem,

tatem, ſed immunitatem duntaxat: magnam nimirum & præclaram & venerabilem ſuam patriam exiſtimantes, & quovis majorem beneficio. Nunc vero, Athenienſes, homines perditos, ſervos ſervis genitos, accepto tanquam pro aliis mercibus pretio, cives facitis. Et hæc vobis agere viſum eſt, non quod deterioribus ſitis ingeniis quam majores veſtri: ſed quod illi ipſi de ſe præclare ſenſerunt, vobis autem id ereptum eſt. Neque vero fieri unquam profecto poteſt, ut homines parvis & vilibus occupati rebus, ſublimes & generoſos ſpiritus concipiant: quemadmodum viciſſim natura non fert, ut præclaris & ſplendidis negotiis dediti: animos puſillos habeant, & abjectos. Nam qualia hominum ſtudia fuerint, talibus eos animis etiam eſſe præditos neceſſe eſt. Conſiderate quæſo, quæ capita enumerari poſſint earum rerum quas illi geſſerunt, quaſque vos geritis: an his inter ſe collatis, vobis ipſis meliores fieri poſſitis. Illi igitur annos quinque & ſexaginta, Græcis volentibus imperarunt, amplius decies mille talenta in arcem congreſſerunt: multa & præclara, terra marique pugnantes, tropæa erexerunt, quæ etiam nunc laudi nobis ducimus. Atqui putare debetis, illos ea erexiſſe, non ut nos illa ſpectantes tantum admiraremur (9): ſed ut etiam virtutes eorum, a quibus conſecrata eſſent, imitaremur. Et illi quidem hæc. Nos vero tanta circundati ſolitudine, quantum videtis omnes, conſiderate an ſimilia. An non amplius mille & quingenta talenta in Græcorum mendicos fruſtra profudimus? An non & privatæ familiæ omnes, & ærarium publicum, & quæ a ſociis conferuntur, ſunt exhauſta? An non quos in bello ſocios nobis adjunximus, hi pacis tempore perierunt? At hæc ſola ſcilicet tunc meliora fuere quam nunc: cætera vera deteriora? Plurimum certe abeſt. Agite conſideremus quicquid voletis. Ædificia igitur & ornamenta urbis, templorum & portuum, & quæ ſunt ejus generis alia, tot & tanta illi reliquerunt, ut ad eorum excellentiam

cellentiam nihil poſſit poſteritas addere. In conſpectu ſunt propylæa hæc, navalia, porticus, & reliqua, quibus illi urbem nobis exornatam tradiderunt. Reliquas vero procerum illius temporis ædes, ita moderatas, & nomini popularis ſtatus congruentes, ut ſi quis veſtrum Themiſtoclis, Cimonis, Ariſtidis, aut Miltiadis, & cæterorum ejus ætatis illuſtrium hominum domos novit, nihilo vicinis magnificentiores eſſe videat. Nunc vero, Athenienſes, urbi noſtræ ſatis eſt, publice vias munire, fontes extruere, incruſtare parietes, & ſimilibus nugis occupari. Neque vero harum rerum autores reprehendo: nequaquam id facio: ſed vos, ſi his procurandis vos officio functos putatis. Privatim autem, qui publicum aliquod munus adminiſtrarunt, partim publicis ædificiis privatas ædes magnificentiores ſubſtruxerunt, nedum plebeiis ſuperbiores (10): partim tot fundos coemptos colunt, quot ne per ſomnium quidem unquam ſperaverant. Harum autem rerum omnium cauſa eſt, quod olim populus univerſorum dominus & autor erat: cæterique bene ſecum agi putabant, ſi is honorem, magiſtratum, aut aliquod aliud beneficium impertiret. Nunc contra ſit. Iſti omnes opes in ſua poteſtate habent, & iſtorum auſpiciis geruntur omnia: ſed populus miniſtri & additamenti locum obtinet. Vobiſque ſatis eſt id accipere, ſi quid iſti forte impertierint. Proinde dum hæc fiunt, talis etiam ſtatus civitatis eſt, ut ſi quis decreta veſtra legat, & acta ordine percurrat, nemo credere poſſit eorundem hominum eſſe hæc & illa, veluti ſunt, quæ contra Megarenſes, homines nefarios, decreviſtis, quum terram conſecratam vendicarent & excolerent, exeundum eſſe, prohibendum, non concedendum: & Phliaſiis, quum nuper patria pellerentur, opem ferendam: non permittendos crudelitati carnificum, a Peloponnenſibus auxilia, ſi qui juvare vellent, accerſenda. Univerſa hæc, Athenienſes, præclara ſunt, & juſta, & e dignitate reipub. at facta quæ

ſequi

ſequi debebant, nuſquam apparent. Inimicitias igitur per ſenatuſconſulta denunciatis, nullius autem rei gerendæ poteſtatem habetis. Decernetis enim ea quæ urbe noſtra digna ſunt: ſed viribus caretis ad ea quæ decreviſtis exequenda. Ego vero velim (ſed in optimam partem accipetis) vos aut minus habere animorum, veſtris negotiis agendis contentos: aut majores vires comparere. Quod ſi vos Siphnios, aut alios ejus eſſe generis ſcirem: hortarer ad animos demittendos. Sed cum Athenienſes ſitis, autor ſum vires majores ut comparetis. Turpe enim,(11) Athenienſes, turpe inquam eſt, ejus magnanimitatis ordinem deſerere, quem vobis majores tradiderunt. Imo nec veſtri arbitrii eſt, etiamſi velitis, Græcos ut deſeratis. Multa enim ab omni ævo geſſiſtis. Proinde nec veteres amicos projicere, nec veſtris hoſtibus fidere, aut creſcendi copiam dare licet. Denique idem vobis, quaſi lege talionis, uſuvenit, quod his, qui ubi ſemel apud vos ad gerendam rempublicam acceſſere, poſt cum vellent, recedere ab eadem non audent. Rempublicam enim inter Græcos geſſiſtis. Caput autem eſt, Athenienſes, horum quæ diximus omnium: oratores vos nunquam neque probos facient, neque improbos: ſed vos illos tales, quales volueritis. Neque enim vos ad illorum voluntatem vos accommodatis: ſed illi veſtris cupiditatibus blandiri ſtudent. Vos igitur principes eſſe decet in rebus bonis expetendis. Sic omnia recte erunt. Aut enim nemo quicquam mali dicet, aut fruſtra dicet, quum qui auſcultent non ſit habiturus.

DEMOSTHENIS DE CLASSIBUS ORATIO.

LIBANII ARGUMENTUM.

Orto rumore, Perſarum regem expeditionem moliri adverſus Græcos: populus Athenienſis tumultuatur, & cum convocare Græcos, tum bellum ſtatim inferre properat. Demoſthenes autem ſuadet, ne ipſi priores inſurgant: ſed eos expectare jubet, cum Rex novi quid conetur. Nunc enim, inquit, non perſuadebimus Græcis, ut ſocia nobiſcum arma jungant, cum in tuto adhuc ſibi eſſe videantur. Tum vero periculum ipſum eos nobiſcum conjunget. Monet igitur, ut quiete ſe inſtruant, & ad bellum parent: atque etiam commemorat, quæ debeat eſſe ratio inſtructionis. Unde περὶ συμμοριῶν oratio eſt inſcripta. Nam apud Atticos συμμορία cœtus & ordo eorum eſt, qui munera publica obeunt.

QUI majores veſtros laudant, Athenienſes, inſtituere mihi videntur orationem auditu jucundam, non ea tamen agere quæ illis proſint quos celebrant. Nam cum iis de rebus dicere conentur, quas mortalium nemo pro dignitate poſſit explicare (13): ut ipſi opinionem eloquentiæ conſequuntur: ſic efficiunt, ut virtus illorum minor videatur auditoribus, quam putarant. Ego vero laudationem eorum maximam puto ipſum eſſe tempus: quod cum non exiguum interceſſerit, rebus illorum geſtis, majora nulli alii ſuſcipere gerenda potuerunt. Ipſe autem rationem explicare conabor, qua vos optime inſtructos fore cenſeam. Etenim res ita ſe habet: Si nos

nos omnes, qui verba facturi sumus, eloquentes videamur: nihilo res vestræ, satis scio, erunt meliores. Sed si unus, quisquis ille fuerit, progressus docere possit, & suadere, quæ institutio, & quanta, & unde comparata, nunc reipublicæ profutura esse videatur, omnis hic metus evanuerit. Quod ego, si modo potero, dabo operam ut faciam: pauca præfatus apud vos, quid de regio negotio sentiam. Ego existimo communem hostem omnium Græcorum esse Regem Persarum: non tamen propterea suaserim, soli omnium vos ut bellum contra eum suscipiatis. Neque enim ipsos Græcos video communes inter se esse amicos: sed nonnullos magis illi fidere quam quibusdam suorum. Quæ cum ita sint: e re vestra esse censeo, providere, justum belli initium ut capiatur: utque apparentur, quæ convenit, omnia: & hoc proponatur ad deliberandum. Arbitror enim, Athenienses, Græcos, si declaretur & perspicuum fiat, fore ut Rex ipsos aggrediatur: & adjuturos, & magnam gratiam habituros iis, qui ante ipsos, & cum ipsis Regem, ulciscantur. Quod si, dum id obscurum etiam est, nos priores arma sumpserimus: vereor, Athenienses, ne hos cum illo conjunctos propulsare cogamur (14), quibus consultum volumus. Is enim represso impetu suo (si tamen invadere Græcos instituit) largitionibus aliquos eorum corrumpet, & amicitiam simulabit. Illi privata bella corrigere volent: & dum hoc animo erunt, communem omnium salutem negligent. In eum autem tumultum & amentiam moneo, ne præcipitetis urbem nostram. Neque enim eandem nobis in regio negotio deliberationem, quam aliis Græcis, esse video: quod multi illorum mihi videntur privati, alicujus emolumenti causa, posse negligere alios Græcos. Vobis autem nec affectis injuria honestum fuerit, eas de fontibus sumere pœnas, ut eorum aliquos à Barbaro subigi patiamini. Quod cum ita sit, providendum est, ne & nos bello simus impares: & is quem Græcis insidiari putabamus,

mus, ita se insinuet, ut fidus illis esse videatur. Quomodo igitur hæc curanda erunt? Si copiæ reipublicæ delectæ & instructæ, omnibus conspicuæ fuerint: atque apparuerit, nos iis ita esse fretos, ut nihil iniqui tamen conemur. Ferocibus autem, & nimis expedite ad bellum impellentibus, illud dico: Non esse difficile, neque quum deliberandum est, fortitudinis opinionem consequi: neque quum periculum aliquod imminet, vehementem oratorem videri. Sed illud & difficile est, & conveniens, in periculis fortitudinem declarare: in deliberando, prudentius aliis dare posse consilium. Ego vero, Athenienses, existimo bellum cum Rege difficile esse reipublicæ: prælium futurum esse facile. Cur? Quia non aliter, ut opinor fieri potest, quin bella omnia (15), & triremes, & pecuniam, et loca requirant: quæ omnia penes illum copiosiora quam apud vos reperio. Prælia vero nulla re alia tantopere video indigere, ut fortibus viris: quos plures vobis, et iis qui vobiscum hoc periculum adibunt, esse existimo. Bellum igitur, hisce de causis, moneo, ne ulla ratione priores suscipiatis: ad prælium vero vos recte instructos esse oportere dico. Quod si alia ratio copiarum esset, quibus Barbari propulsarentur, alia quibus Græci: deprehensum iri fortasse consentaneum esset, nos contra illum instrui. Cum autem omnis instructionis ratio sit eadem, & eadem oporteat esse capita copiarum, ut hostes repelli possint, ut socii defendantur, ut opes nostræ conserventur: quid, quum habeamus qui se hostes esse fatentur, alios quæritamus? ac non potius & adversus hos instruimur, & illum quoque ulciscimur, si violare nos instituerit? Agite vero, Græcos nunc ad vos accersite: at, si quæ illi jubent, non facitis, cum quidam non optime vobis cupiant, estne sperandum, quenquam esse obtemperaturum? Quia medius fidius audient e nobis, Regem Persarum ipsis insidiari, ipsos vero non prospicere? Itane, vos obsecro, putatis? Ego vero opinor. Sed nondum major is metus

tus est, quam dissensionum erga vos, & quorundam inter se. Nihil igitur aliud, quam nescio quam cantilenam passim canent legati nostri. Tum autem si forte quæ nos modo censemus, agetis: nemo Græcorum omnium ita fretus erit suis opibus, quin, ubi viderit vobis præsto esse & mille equites, & legiones quot voletis, & naves trecentas, (16) venturus & supplicaturus sit: illis adjutoribus, minimo se cum periculo incolumen evasurum existimans. Proinde si jam accersetis, supplices: si non auscultarint, frustrati eritis. Sin ipsi vestris copiis instructis, cunctemini: supplices defendetis, neque dubium est, quin omnes ad vos venturi sint. Ego igitur, Athenienses, & hæc & his similia reputans, nullam orationem confidentem, aut vanæ prolixitatis exquirere volui: sed quænam ratio instructionis & optima & expeditissima esset, considerando, sui vehementer occupatus. Puto igitur, vobis eam, si & audita & probata fuerit, esse decernendam. Prima itaque & maxima instructionis pars, Athenienses, hæc est, ut quisque ultro alacriter omni officio fungi velit. Illud enim videtis, Athenienses, quæcunque unquam universi vos voluistis, & postea quisque pro se gerenda putastis, eorum vos nihil unquam effugisse. Quæ vero voluistis, post autem alius alium respexistis, tanquam ipse nihil, proximus omnia facturus esset: in iis nihil unquam promovistis. Quod si vos ita eritis animati atque incitati, numerum mille & ducentorum dico esse complendum: & octingentis adjunctis, bis mille faciendos. Nam si hunc numerum designaveritis: existimo virginibus orbis, & pupillis, & in colonias abituris, & societatibus demptis, itemque aliis si qui sunt tenuiores, præsto futura vobis corpora mille & ducenta. Ex his igitur classes viginti censeo designandas, ut nunc sunt, quarum singulæ sexagena corpora contineant. Earum porro classium singulas in (17) quinas dividi partes jubeo duo denarias: sic, ut tenuissimi quique locupletissimis adjungantur. Et corpora quidem sic ordinan-

da esse censeo: Quod cur censeam, tum scietis, eum totam institutionis rationem audieritis. Triremes autem quomodo? Omnino trecentas numero triremes designari jubeo: & in viginti partes, quarum singulæ naves quindenas contineant, distribuendas: primæ centuriæ quinque, & secundæ centuriæ quinque, & tertiæ centuriæ quinque navibus attributis. Deinde singulis virorum classibus quindenas naves: classium singulis partibus ternas triremes attribuendas. Postquam hæc ita confecta fuerint, jubeo, cum agri nostri æstimatio sit sex mille talentûm, ut & pecuniæ certus ordo ineatur, eam dividi & centum fieri partes, quartum singula sexagena talenta contineant. Deinde quinquies sexagena talenta singulis magnis classibus attribuenda: eo pacto classes singulæ singulis quinariis sexagena talenta reddant: ut si vobis centum triremibus fuerit opus, sumptum sexagena talenta absolvant: & trierarchi sint duodeni: sin ducentis fuerit opus, tricena sint talenta, quæ sumptum absolvant, & seni viri triremibus præsint: sin trecentis, vicena sint talenta, quæ sumptum absolvant, & quaterni triremibus præsint. Eodem quoque modo, Athenienses, armamenta etiam quæ nunc ad triremes debentur æstimari, & ex tabulis omnia distribui jubeo, in viginti partes. Deinde singulis magnis classibus unam tribui partem, unicuique aptam, quam deinde singulæ classes singulis suis partibus ex (18) æquo dividant: & duodeni illi in singulis partibus ea exigant: & quas singuli triremes sortiti fuerint, eas instructas exhibeant. Sumptum igitur, & naves, & trierarchos, & armamentorum exactionem sic optime posse censeo, & comparari, & apparari. Unde autem hæ & certo & facile compleri possint, deinceps dicam. Censeo a ducibus navalium decem loca esse deligenda, atque rationem ineundam, ut quam proxime inter se absint navalia, quorum, singula triginta triremium sit & capacia. Quod ubi fecerint: binas classes tricenas triremes horum locorum singulis attribuant: deinde sortito tribus intro-

introducant & trierarchos singulos in singula navalia: ut sint binæ classes, triremes tricenæ, & una tribus. Qui vero locus tribui obvenerit, is trifariam dividatur, & naves similiter. Deinde trientes tribuum sortiantur: ut singulæ tribus una pars sint totorum navalium, & singularum partium tertiam partem triens obtineat: utque sciatis, si quid erit opus, primum tribus quo loco stationem habeat, deinde triens, postea trierarchi qui, & quot triremes: ac tricenas triremes una tribus, denas unusquisque triens triremes continet. Nam si hæc ordine expedita fuerint, etiamsi nunc aliquid prætermisimus (neque enim facile sane est, exquisite reperire singula) id ipsa sibi res inveniet, et una constitutio tum omnium navium, tum partium futura est. Jam quod ad pecuniam attinet & evidentem aliquam parandorum sumptuum rationem: scio equidem incredibile visum iri quod jam dicam: dicetur tamen. Confido enim, si quis recte confideret, fore ut me solum vera, & ipso eventu comprobanda dixisse appareat. Ego (19) affirmo, nunc non dicendum esse de pecunia, cum commeatus adsit magnus, & præclarus, & justus: quem, si nunc quæremus, ne tum quidem præsto futurum sentiemus nobis: tantum abesse, ut jam eum inventuri simus: sin omiserimus, præsto futurus est. Quis igitur ille est? qui cum nunc non adsit, tum in promptu futurus est? Nam istæ nescio quæ esse ambages videntur. Ego dicam. Videtis, Athenienses, totam hanc urbem? In hac, pecunia inest, parum abest quin dicam, quæ cum omni aliarum urbium pecunia conferri possit: quam qui possident, eo animo sunt, ut si omnes oratores eos ita terrerent, venturum esse regem, adesse, non aliter posse fieri: & una cum oratoribus alii totidem vaticinarentur: non modo non conferrent, sed nec proferrent, aut faterentur se habere. At si verborum terrores istos ad rem conferri viderent: nemo ita stolidus est, qui non liberaliter daret, & primus conferret. Quis enim malit ipse una cum fortunis omni-

bus interire, quam partem facultatum pro ſemetipſo & reliquis ſuis bonis conferre? Pecuniam igitur tum in promptu fore dico, cum revera fuerit opus, non prius. Proinde ne quærendam quidem cenſeo. Quantum enim nunc exigeretis, ſi inſtitueretis exigere: id magis ridiculum fuerit, quam ſi nihil omnino eſſet exactum. Age centeſimam jubebit aliquis? proinde ſexaginta talenta dicet. Sed quinquageſimam dicet aliquis? duplum; proinde centum & viginti. Ecquid hoc eſt ad ducentos & mille camelos, quos regi pecuniam vehere iſti dictitant? Sed ponam, velle vos conferre duodecimam? quingenta talenta. Verum id vos nec ſuſtinebitis, nec, ſi numeretis, bello par erit pecunia. Cætera igitur vobis ſunt comparanda, (20) pecunia relinquenda nunc ſuis poſſeſſoribus; nuſquam enim reipublicæ commodius & honeſtius cuſtodietur. Cum vero neceſſitas illa venerit, tum ultro conferentibus illis, accipienda erit. Hæc & fieri poſſunt, Athenienſes, & factu honeſta ſunt, & utilia, & digna quæ regi de vobis nuncientur: neque per hæc levis ei terror incuteretur. Sic enim, majores ſuos a trecentis triremibus, quarum nos centum præbuimus, mille naves ſubactas amiſiſſe: atque audiet, trecentas triremes vos ipſos inſtruxiſſe. Quare non temere, tametſi valde inſaniet, inimicitias noſtræ urbis ſibi putabit ſuſcipiendas. Quod ſi propter pecuniam ei ſubit efferri animis: id quoque ſubſidium veſtro infirmius reperiet. Is enim aurum, ut aiunt, vehit: quod ubi diſtribuerit, requiret. Nam & fontes & putei deficere ſolent, ſi quis magnam inde copiam ſimul, & crebro hauſerit: vobis autem agri æſtimationem ſex mille talentûm ſubſidio eſſe audiet, pro cujus defenſione pugnaturos eſſe nos, majores ejus qui in Marathone fuerunt, optime noverint. Dum vero ſuperiores erimus, pecunia utique defici non poterimus. Ac ne illud quidem, quod nonnulli metuunt, ne, cum pecuniam habeat, magnas peregrini militis copias conducat, verum eſſe mihi

hi videtur. Ego enim arbitror, contra Ægyptum, & Orontem, & alios Barbaros quoſdam, multos fortaſſe Græcorum velle apud illum merere ſtipendia: non ut ille horum aliquem capiat: ſed unuſquiſque, ut opibus aliquibus partis, urgente inopia, liberetur: ſed qui reliquam (21) Græciam invadere velit, nullum Græcum fore arbitror. Quo enim ipſe poſtea ſe convertet? In Phrygiam profectus ſerviet? neque enim alia de re bellum eſt cum Barbaro, quam de agro, de vita, de inſtitutis, de libertate, de talibus rebus omnibus. Quis igitur ita eſt infelix, ut ſemetipſum, parentes, ſepulchra, patriam, parvi lucelli gratia velit amittere? Equidem neminem eſſe exiſtimo. Imo nec illi expedit, peregrini militis opera Græciæ potiri. Qui enim nos ſubegerint, jam pridem illo fuerint præſtantiores. Neque vero vult, nobis excifis, ipſe in aliorum eſſe poteſtate: ſed omnibus, ſi fieri poſſit: ſin id fieri non poſſit, at ſervis certe ſuis imperare. Quod ſi quis Thebanos cum illo ſe conjuncturos putat: difficilis quidem eſt apud vos ea de re oratio. Nam cum eos oderitis: neque verum libenter, neque boni quicquam de eis audietis. Veruntamen eos decet, qui magnis de rebus deliberant, nullam utilem cogitationem prætermittere ulla de cauſa. Ego vero exiſtimo, tantum abeſſe, ut Thebani unquam cum illo Græciam invaſuri ſint: ut magna pecunia ſi liceret, redempturos putem occaſionem, qua vetera in Græcos delicta abolerent. Quod ſi quis exiſtimat, Thebanos uſque adeo natura eſſe infelices: illud utique intelligetis omnes, ſi Thebani cum illo faciant, eſſe neceſſe, ut eorum hoſtes ſtent a Græcis. Ego igitur exiſtimo, hunc ordinem æquitatis, & eos qui cum hoc ordine ſe conjungent, tum proditoribus, tum Barbaris fore univerſis ſuperiores. Quare neque immodice formidandum, (22) neque committendum eſſe cenſeo, ut priores bellum inferamus. Ac ne cæterorum quidem Græcorum ulli merito bellum hoc formidini eſſe video. Nam quis eorum ignorat, ſe, dum illum communem

hoſtem ducentes, inter ſe conſenſerunt, magnis opibus floruiſſe; poſtquam autem ejus amicitia freti, de privatis controverſiis inter ſe contenderunt: tot mala eſſe perpeſſos, quot, ſi quis eos devovere vellet, vix reperiſſet? Quem igitur Fortuna & dii immortales tam amicum inutilem, quam hoſtem eſſe conducibilem declarant, eum nos formidamus? Nequaquam: ſed ne faciamus injuriam, noſtra cauſa, & propter cæterorum Græcorum turbas & diffidentiam. Nam ſi concorditer, adjuvantibus omnibus, ſolum illum invadere liceret: ne injuriam quidem illi a nobis fieri putarem; Sed cum ſe res aliter habeat: cavendum cenſeo, ne anſam regi præbeamus, ut juris cæterorum Græcorum arbiter eſſe ſtudeat. Quieſcentibus enim vobis ſuſpectus eſſet, ſi quid tale moliretur. Sin priores bellum moveretis, haud injuria videbitur propter veſtras inimicitias, aliorum expetere amicitiam. Ne igitur arguere velitis, quam corruptus ſit Græciæ ſtatus, convocandis eis cum non perſuadebitis, & gerendo bello cum non poteritis: ſed quieti eſtote, & imperterriti, & inſtructi: & nunciari de vobis regi velitis, non quidem certe æſtuare omnes Græcos, aut metuere, aut tumultuari, & Athenienſes. Longe certe aliter ſe rem habere. Atque adeo niſi apud Græcos æque turpe haberetur mentiri & pejerare, ut apud illum præclarum, jampridem vos in illum fuiſſe impetum facturos; nunc id vos nequaquam facturos (23) veſtrapte cauſa: ſed omnes precari deos, ut eadem ipſe amentia corripiatur, qua olim majores ejus. Atque hæc ſi conſiderare in animum induxerit: vos non negligenter conſuluiſſe vobis inveniet. Neque enim ignorat, e bellis cum ſuis majoribus geſtis, urbem magnam & felicem eſſe factam: ex otio autem, quod ante illa tempora egerat, nullam Græcarum urbium tanto fuiſſe, quanto nunc ſuperiorem. Quin Græcos etiam videt pacificatorem requirere vel volentem, vel invitum. Eum vero ſemetipſum eis fore intelligit, ſi bellum moverit. Quare ea quæ e nunciis

eiis audiet, ei & nota & credibilia erunt. Ne vero, Athenienſes, prolixitate orationis vobis nimis ſim moleſtus, capitibus mei conſilii expoſitis, deſcendam. Inſtrui vos & contra certos hoſtes jubeo: & populſari etiam regem, & omnes, ſi vos laceſſere inſtituerint, iis copiis oportere cenſeo: nullius autem iniqui vel facti vel dicti eſſe autores. Demus operam, ut facta noſtra digna ſint majoribus, non pro concione habitæ orationes. Quæ ſi feceritis: & vobiſipſis conſuletis, & iis qui contrarium ſuadent. Nam poſt illis non irafcemini: quod fieret, ſi nunc impingeretis.

DEMOSTHENIS DE RHODIORUM LIBERTATE ORATIO.

LIBANII ARGUMENTUM.

Bellum, quod ſociale dictum fuit, ſuſceperunt adverſus Athenienſes Chii & Rhodii & Byzantii: qui cum illis prius paruiſſent, tunc ſocietatem contra Athenienſes inter ſe fecerant. Cum autem Rhodii Cariæ vicini eſſent, ſe apud Mauſolum, ejus provinciæ præfectum, gratia valere putabant. Is paulatim apud eos fide ſibi conciliata, inſidias populo comparavit, & urbem, libertate Rhodiis erepta, paucorum potentiorum ſervituti ſubjecit. Cenſet igitur Demoſthenes, eam rem non eſſe negligendam, ſed juvandum eſſe populum Rhodiorum: quod e re ſit Athenienſium, urbes populari parere imperio. Etſi autem, inquit, Rhodii vos læſerunt, tamen vobis & honeſtum & uſitatum eſt, nos etiam Græcos, qui vos nonnihil etiam

am offenderunt, liberare, atque delinquentibus in Rempublicam ignoſcere.

(25)

ARbitror oportere vos, Athenienſes, tantis de rebus deliberantes, dare libere dicendi poteſtatem unicuique conſulentium. Ego vero non putavi unquam difficile, docere vos quæ optima factu ſint (ut enim ſimpliciter dicam, omnes ea jam ante cognita habere mihi videmini) ſed perſuadere, ut ea exequamini. Nam cum probatum aliquid, decretumque eſt: tantundem ab agendo abeſt, quantum antequam decerneretur. Eſt autem illud unum ex eorum numero, propter quæ diis immortalibrs agendas a vobis eſſe gratias exiſtimo: quod, qui non ita olim, ſuapte petulantia impulſi, vos bello petierunt: ii nunc in vobis ſolis ſpem ſuæ ſalutis habent. Ac gratulatione digna eſt hæc occaſio: qua ſi recte utemini, fiet, ut eorum qui noſtram urbem calumniantur, maledicta, reipſa, & cum bona fama refutetis. Queſti enim ſunt ſibi nos inſidiari, Chii, Byzantii & Rhodii, proptereaque conjunctis viribus poſtremum hoc bellum nobis intulerunt. Apparebit autem, Mauſolum, qui dux & autor ejus rei fuit, dum ſe amicum eſſe Rhodiorum ſimulat, libertatem eis eripuiſſe: Chios & Byzantios, a quibus in ſocietatem adſcripti fuerant, cladibus eorum non ſuccurriſſe: vos, quos metuebant, ſolos omnium, ſalutem eorum defendiſſe. Quæ cum conſpicientur ab omnibus, efficietis, ut omnes plebeii in civitatibus amicitiam veſtram incolumitatis ſuæ tanquam teſſeram eſſe judicent. Neque vero vobis ullum majus bonum offerri queat, quam ſi omnes ultro benevolentia vos abſque ulla ſuſpicione proſequantur. (26) Miror autem, cum eoſdem video ſuadere civitati, ut pro defenſione Ægyptiorum, Perſarum regi adverſetur: in cauſa Rhodii populi eundem illum hominem formidare, cum hos eſſe Græcos ſciant omnes: illos ad illius imperium

per-

pertinere. Opinor autem meminiſſe veſtrûm quoſdam, cum de regio negotio deliberaretur, me pro concione monuiſſe primum, ac (niſi fallor) ſolum etiam, aut certe cum altero: videri mihi, ſapienter vos eſſe facturos, ſi cauſam inſtructionis, non inimicitias, quæ cum eo intercederent, prætenderetis: ſed ſi & adverſus certos hoſtes vos pararetis: & illum etiam ſi vos laceſſere inſtituerit, ulciſceremini. Neque vero ego cum hæc dixiſſem, vobis non recte dicere ſum viſus: ſed vobis etiam eadem placuerunt. Quod igitur nunc dicam, id orationi tum habitæ conſentaneum erit. Ego, ſi rex me illic degentem in conſilium adhiberet, idem ei ſuaderem quod vobis: ut pro ſua ditione bellum gereret, ſi quis adverſaretur Græcorum, quæ vero nihil ad eam attinerent, eorum dominatum uti prorſus non vendicaret. Quod ſi omnino decreviſtis, Athenienſes, quicquid rex occuparit, antevertendis & decipiendis oppidorum magiſtratibus, concedere: non recte decreviſtis, ut ego judico. Sin tuendæ juſtitiæ cauſa, & bella gerenda, ſi ſit opus, & quidvis perpetiendum eſſe putabitis: primum tanto minus hoc neceſſe vobis erit, quanto conſtantius ita ſentietis, deinde conſilium & judicium veſtrum probabitur. Jam ut ſciatis, neque me quicquam novi dicere, qui libertatem Rhodiis reſtitui jubeam: neque vos, ſi mihi auſcultetis, facturos: rem quandam quæ & facta eſt, & profuit, vobis in memoriam revocabo. Vos Timotheum aliquando cum imperio miſiſtis, (27) Athenienſes, opem laturum Ariobarzani, ad decretum hac adjecta clauſula: ne fœdus factum cum rege violaret. Cum autem ille videret Ariobarzanem palam deſciviſſe a rege, Samum autem præſidio teneri a Cyprothemide, quem Tigranes regis præfectus eo collocaret: ut illi opem ferendam eſſe non ſtatuit: ita hanc obſidione cinxit, auxilioque ſuo liberavit. Nec in hunc uſque diem bellum propterea vobis illatum eſt. Nemo enim eſt, qui pari contentione & rapinas & opes ſuas proprias defendat. Sed

pro

pro his quæ de ſuo aufe-untur, omnes ſumma vi pugnant: de finibus autem propagandis, opibuſque augendis, non item. Appetunt illi quidem aliena, ſi nemo prohibeat: ſin obſiſtitur, ſe ab his qui adverſati ſunt, læſos eſſe non putant. Artemiſiam porro, ubi noſtra urbs jam negotium ſuſceperit, ne adverſaturam quidem eſſe: paucis auditis, conſiderate, recte ne ego ſic ſtatuam, an ſecus. Equidem exiſtimo, ſi regi omnia quæ inſtituit, in Ægypto feliciter ſuccederent, Artemiſiam valde daturam fuiſſe operam, ut Rhodium ei traderet: non tam ex benevolentia erga regem, quam ut, ſi ille prope ipſam verſaretur, magno beneficio ſibi eum obligaret, ſummaque benevolentia devinciret. Poſtquam vero ita cum eo agitur, ut dicitur, ſuiſque conatibus ille fruſtratus eſt: exiſtimare, id quod res eſt, inſulam hanc in præſentia regi ad nihil aliud eſſe utilem: ſed velut arcem eſſe regni ſui, quæ obſtet, ne quid ipſa novi moliatur. Quare mihi quidem videtur, malle a vobis eam teneri, a ſe palam non traditam, quam regem ea potiri. Imo ne adjuturam quidem puto: aut, tametſi hoc fecerit, ſegniter (28) & obiter facturam. Nam de rege, ſcire me quid is facturus ſit, haud equidem affirmarim: ſed e republica eſſe, ut jam cognoſcatur, utrum ille Rhodiorum urbem ſibi vendicaturus ſit, an non: id ego affirmarim. Nam ſi eam ſibi vendicarit, non de Rhodiis ſolum, ſed de vobis ipſis, atque adeo de Græcis omnibus, erit deliberandum. Quod ſi per ſemetipſos tenerent urbem, qui nunc in ea ſunt Rhodii: non cenſerem eorum defenſionem ſuſcipiendam, tametſi vobis omnia ſe facturos pollicerentur: quippe quos videam, primum ut popularem ſtatum everterent, quoſdam ſibi cives adjunxiſſe: ac re jam confecta, eoſdem ejeciſſe. Cum igitur neutris fidem ſervarint, nec vobis eos firmos fore ſocios putarem. Atque hæc nunquam dixiſſem, ſi ea ſoli Rhodiorum populo prodeſſe putarem. Neque enim vel publicum vel privatum cum ullo eorum hoſpitium mihi eſt. Ac tametſi horum

horum utrumque eſſet: non tamen hæc dicerem, niſi e re veſtra eſſe crederem. Nam Rhodius (ſi tamen hæc a defenſore ſalutis eorum dici fas eſt) iſta accidiſſe gaudeo: qui, dum jus veſtrum vobis negant, ſuam libertatem perdiderunt: cumque licuiſſet eis ſocietatem æquo jure cum Græcis & vobiſcum, qui illis antecellitis, colere: Barbaris & ſervis, quos in arces recepere, ſerviunt. Ac parum abeſt quin dicam: Si vos eos juvabitis, hoc illis etiam profuiſſe. Nam ſecundis rebus haud ſcio an unquam ad ſanam mentem, quæ Rhodiorum ingenia ſunt, rediſſent. Sed re ipſa experti atque edocti, multorum malorum amentiam multis cauſam exiſtere: fieri fortaſſe poteſt, ut fiant (29) in poſterum prudentiores, & modeſtiores. Quam ego rem eis non parum profuturam eſſe exiſtimo. Dandam autem operam cenſeo, ut hi viri conſerventur, obliterata memoria injuriarum. Debetis enim cogitare, vos etiam ſæpe multis in rebus ab inſidiatoribus eſſe deceptos: quarum ullius a vobis pœnas exigi, æquum eſſe negabitis. Quin illud etiam videte, Athenienſes: Multa vos bella geſſiſtis contra & Democratias, & Oligarchias, idque & ipſi noſtis: ſed quibus de cauſis adverſus utraſque pugnaveritis, id nemo fortaſſe veſtrûm conſiderat. Quæ igitur illæſunt? Cum liberis populis aut propter privatas injurias, pro quibus ſatisfacere publice non potuerunt: aut pro parte agrorum, aut de finibus, aut propter contentionem honoris, aut de principatu bella geritis. Cum poteſtate paucorum, pro harum rerum nulla, dimicatio eſt: ſed de reipublicæ forma & libertate. Quapropter ego quidem certe dicere non dubitem, utilius videre mihi, ut Græci omnes populari ſtatu utentes, nobiſcum belligerent: quam ut paucorum imperio ſubjecti, noſtram amicitiam colant. Cum liberis enim pacem vos, quandocunque volueritis, non difficulter eſſe facturos, arbitror. At cum iiſdem, ſi paucorum regantur arbitrio, ne amicitiam quidem fidam fore puto. Nullo enim modo

fieri

fieri poteſt, ut pauci multis, atque avidi imperii æqualitatis ſtudioſis bene velint. Miror autem, neminem veſtrûm exiſtimare, ſi Chii paucorum poteſtate regantur, & Mitylenæi, & nunc Rhodii, atque omnes prope dixerim homines, illius ſervitutis jugum ſubeant, veſtram quoque rempublicam in aliquo fore periculo: neque cogitare, paſſim Oligarchiis inſtitutis, non poſſe fieri, ut populi dominatus apud vos relinquatur. Sciunt enim, nullos alios (30) fore libertatis vindices & aſſertores. Unde igitur imminere ſibi periculum prævident; eos e medio ſublatos volent. Proinde cæteri, qui aliquibus injuriam faciunt, eorum ipſorum qui læduntur, hoſtes putandi ſunt, rerumpub. autem everſores, paucorumque potentiæ conſtitutores, communes hoſtes omnium eorum, quibus libertas cordi eſt, me quidem autore, judicabuntur. Deinde æquum etiam eſt, ut vos, qui populi autoritate ipſi regi vultis, ſic in calamitoſos populos animati eſſe videamini: ut alios in vos eſſe animatos velletis, ſi quando (quod Dii prohibeant) tale quippiam accidiſſet. Nam tametſi dici queat, jure ita agi cum Rhodiis: vos tamen ratio temporis, malis eorum gaudere non ſinit. Quibus enim Fortuna ſecunda eſt, hi calamitoſis perpetuo rectiſſime conſulere debent: cum nemo omnium mortalium, quid ſit futurum, exploratum habeat. Atque ego ſæpe hic apud vos commemorantes quoſdam audio: cum noſtra urbs cladem accepiſſet, autores fuiſſe quoſdam ejus conſervandæ. E quibus ego Argivorum duntaxat in præſentia brevem mentionem faciam. Nolim autem vos, quorum celebrata eſt perpetua in afflictos beneficentia, deteriores hac in parte Argivis videri: qui cum in Lacedæmoniorum vicinia habitarent, viderentque illos terra marique dominari, non dubitarunt, nec veriti ſunt oſtendere ſuam erga vos benevolentiam; ſed & legatos Lacedæmone profectos, poſtulaturos, ut ferunt, ad pœnas quoſdam veſtrorum exulum, decreverunt, ni ante ſolis occaſum receſſiſſent, hoſtium loco habendos.

An

An non igitur turpe fuerit, Athenienſes, cum Argivorum vulgus non metuerit Lacedæmoniorum (31) imum illis temporibus aut potentiam: vos, qui Athenienſes ſitis, Barbarum hominem, eamque mulierem formidare: præſertim quum illi ſæpe ſe victos eſſe a Lacedæmoniis referre queant: vos ſæpe viceritis regem Perſarum: victi ne ſemel quidem ſitis vel a ſervis regis, vel ab illo ipſo? Nam ſicubi fortaſſe rex urbe fuit ſuperior: aut Græcorum ſceleſtiſſimis, & proditoribus inter eos, largitionibus corruptis, aut nulla alia ratione ſuperior fuit. Ac ne id ipſum quidem ei profuit. Cognoſcetis enim, cum per Lacedæmonios urbis noſtræ opes minuiſſet, eum a Clearcho & Cyro, ſuo ipſum regno fere fuiſſe dejectum. Itaque neque palam vicit, neque ei inſidiæ profuerunt. Video autem a veſtrum quibuſdam Philippum, ut nullius pretii hominem, negligi ſæpe: regem autem Perſarum, ut potentem hoſtem, ſi quid inſtituerit, formidari. Atqui ſi nec illum ut contemnendum uſciſcemur, & huic ut formidabili omnia concedemus: cum quibus tandem præliabimur? Sunt etiam quidam apud nos, in defendendis apud vos aliorum cauſis acerrimi, quibus ego hoc ſolum ſuaſerim, ut veſtrum jus apud alios tueri ſtudeant, quo ipſi primi juris obſervantes videantur. Abſurdum enim eſt, eum de jure apud vos diſſerere multa, qui ea quæ juſta ſunt, ipſe negligat: cum injuſtum ſit, accuſandis vobis, non defendendis nobis, paratum ac meditatum eſſe civem. Agite vero, per Deos conſiderate, cur tandem Byzantii nemo eſt, qui eos moneat, ne Chalcedonem occupent, quæ & regis eſt, (32) & veſtra olim fuit, & nullo ab eis jure vendicatur? Neve Selymbriam, quæ aliquando ſocietate vobiſcum conjuncta fuit, ad ſuam ipſi juriſdictionem pertrahant? Neve horum agro Byzantii limites conſtituant contra juſjurandum & fœdus, in quo ſui juris eos eſſe ſcriptum eſt? Cur it m nemo fuit, qui * Mauſolo vel vivente, vel defuncto, Artemiſiam docuerit: Coi & Rhodum non eſſe occupan-

das, atque alias ejus generis civitates Græcas, quibus etiam rex, ipſorum dominus, in fœdere ceſſit; & propter quas multa pericula & præclara certamina illorum temporum Græci ſubierunt? Atque ut maxime ſint, qui utriſque illis hæc dicant, at qui hiſce pareant, ut apparet, non ſunt. Ego vero etiam juſtum eſſe cenſeo, ut Rhodiorum populus reſtituatur. Id vero tametſi juſtum non eſſet, cum quæ iſti agunt, intueor, ſuadendum eſſe opinor, ut reducatur. Cur tandem id? Quoniam, ſi omnes colere juſtitiam inſtituiſſent, turpe foret vos ſolos ab ea abhorrere. Cum vero cæteri omnes ita ſe parent, jus violare ut poſſint, ſi ſoli, ne qui tuendi ſint, jus prætendatis, eam ego non juſtitiam, ſed ignaviam exiſtimarim; cum videam, ut quique armati ſunt, ita etiam eos jus ſuum adipiſci. Cujus rei exemplum vobis omnibus notum referre poſſum. Duo fœdera Græci cum rege Perſarum habent, ea quæ noſtra urbs fecit, quæ univerſi laudant, & poſt ea Lacedæmonii deinceps, ea nimirum quæ culpant. Atque in his non idem jus utriſque definitum eſt. Nam privati juris in rebuſpublicis communem (33) æqualemque uſum dedere leges, tam infirmis, quam potentibus. Græcum autem jus, hi qui rerum potiuntur, imbecillioribus interpretantur & definiunt. Cum igitur hoc vobis relictum ſit, ut juſta quæ ſunt, & intelligere, & dicendo explicare poſſitis; elaborandum eſt, in veſtra poteſtate ut ſit, eadem etiam adminiſtrare atque exequi. Quod tum fiet, ſi vos communes libertatis omnium eſſe vindices exiſtimarint. Neque vero mirum mihi videtur, officio fungi vobis omnium eſſe difficillimum. Nam cæteris hominibus univerſis onum certamen eſt cum hoſtibus manifeſtis, quos ubi vicerint, nihil eis obſtat, quo minus ſecure partis bonis fruantur: vobis autem, Athenienſes, duo; cum hoc, quod & cæteris, tum vero accedit alterum, hoc prius & majus, quod in deliberationibus vincendi & hi ſunt, qui reipub. adverſari commodis apud vos, decreverunt. Cum

igitur per iſtos nihil abſque magno labore confici rite poſſis, fit, quod mirum non eſt, ut multis in rebus erretis, & fruſtremini. Atque ut multi ſecure has in repub. partes ſuſcipiant, in cauſa fortaſſe potiſſimum ſunt, quæ a præbitoribus ſuis accipiunt, emolumenta; ſed tamen vos etiam reprehendendi eſtis. Decebat enim vos, Athenienſes, eundem habere animum de ordine reipublicæ, quem de ordine militari habetis. Is igitur quis eſt? Vos deſertorem aſſignati a duce ordinis ignominia notandum cenſetis, & a repub. arcendum. Decet igitur eos etiam, qui ordinem in repub. traditum a majoribus deſeruerunt, itaque ſe gerunt ut potentiæ paucorum ſtudeant, honore dicendæ apud vos ſententiæ privari. Nunc ſocios, qui ſe vobiſcum eoſdem & amicos & hoſtes habituros jurarunt, (34) benevolentiſſimos exiſtimatis; magiſtratus autem quos hoſtibus civitatis addictos eſſe liquido noſtis, eos pro fideliſſimis habetis. Sed quod vel in illis accuſetur, vel in cæteris vobis reprehendatur, difficile repertu non eſt. Quibus autem orationibus, aut quibus actionibus ea quæ prave nunc fiunt, corrigantur, id demum repertu eſt difficile. Ac de omnibus velle dicere, non eſt hujus fortaſſe temporis. Sed ſi ea quæ inſtituiſtis, utili quapiam actione confirmare poteritis, cætera etiam ſingula ſe fortaſſe melius habitura ſunt. Ego igitur cenſeo, vobis harum rerum curam magno & conſtanti animo ſuſcipiendam, eaſdemque pro reipublicæ dignitate conficiendas: vel hac de cauſa, quod majores veſtros, & eorum præclara facinora prædicari, atque triumphos enumerari, cum voluptate auditis. Itaque cogitabitis, monumenta illa dedicata eſſe a majoribus, non ut ea miremini, ſpectantes duntaxat; ſed ut eorum, qui ea conſecrarunt, virtutes imitemini.

DEMOSTHENIS PRO MEGALOPOLITIS ORATIO.

LIBANII ARGUMENTUM.

Lacedæmonii, quum ad Leuctra Bœotiæ oppidum victi a Thebanis, propter Arcadum defectionem, qui se ad Thebanos contulerant, in magno periculo essent, Athenienſium auxilio conſervati ſunt. Poſt, iis diſcriminibus propulſatis, recuperataque ex parte priſtina potentia, Megalopolim Arcadiæ urbem invaſerunt: poſtulata per legatos ab Athenienſibus ejus belli ſocietate. Miſerunt & Megalopolitæ Athenas, qui auxilium peterent. Demoſthenes igitur Athenienſibus autor eſt, ne vel excindi Megalopolim, vel opes Lacedæmoniorum creſcere patiantur: cum e republica ſit, eis terreri non eſſe Lacedæmonem.

UTRIQUE mihi peccare videntur, Athenienſes, tam ii qui Arcadibus, quam ii qui Lacedæmoniis patrocinantur. Tanquam enim ab alterutris miſſi, (36) non noſtri cives ſint, apud quos illi utrique legationem obeunt: ſic mutuo ſe accuſant, & criminantur; id quod legatis relinquendum fuit. Eorum enim qui conſilium hic pollicentur, officium eſt, animis neutram in partem inclinantibus, dicere ſententias: & ſine contentionibus exquirere, quid vobis maxime conducat. Nunc ſic equidem exiſtimo, niſi noti eſſent, Atticeque loquerentur, fore multos, qui eos partim Arcades eſſe, partim Lacones putarent. Etſi autem video, quam difficile ſit optima ſuadere (nam cum vos una decepti ſitis, & alii alia velitis: fit, ſi quis mediam viam teneat, voſque rem

rem cognoſcere gravemini, ut & neutris gratificetur, & in utrorumque odia incurrat) veruntamen ipſe malo (ſi forte ita ceciderit) ineptus videri, quam omiſſis his quæ mihi maxime videntur eſſe e republica, permittere, ut quidam vos decipiant. Ac cætera quidem poſtea, ſi veſtra voluntas feret, dicam: nunc vero quid potiſſimum expedire exiſtimem, exorſus ab his quæ omnes confitentur, docere incipiam. Nemo igitur negabit eſſe e republica, & Lacedæmonios & Thebanos iſtos eſſe infirmos. Nunc autem is rerum ſtatus eſt (ſi qua modo conjectura ex his quæ ſæpe apud vos jactata ſunt, capi debet) ut Thebani, ſi Orchomenus & Theſpiæ & Platææ inſtauratæ fuerint, infirmi: Lacedæmonii, ſi Arcadiam ſubegerint, & Megalopolim ceperint, de integro potentes ſint futuri. Videndum igitur eſt, ne prius hos formidabiles & magnos fieri ſinamus, quam illi attenuati fuerint: neve paulatim Lacedæmoniorum opes multo majores fiant, (37) quam quantum Thebanas minui conducit. Neque enim illud profecto dicemus, malle nos, permutatione facta, Lacedæmonios habere adverſarios, quam Thebanos; neque hoc illud eſt quod conſequi ſtudemus: id quidem volumus, ut neutri nos ullis injuriis afficere poſſint. Hæc enim optima ratio fuerit res noſtras in tuto collocandi. At hercule ſic oportere fieri fatebimur: ſed non eſſe committendum dicemus, ut eorum ſocietatem amplectamur, cum quibus ad Mantineam collatis ſignis pugnaverimus: & nunc ipſos juvemus contra illos, cum quibus tum commune periculum adierimus? Ego quoque in hac ſententia ſum: ſed illud etiam mihi requirendum videtur, ut alteri quæ æqua ſunt facere non recuſent. Quod ſi omnes pacem agere volent: Megalopolitas non juvabimus, nulla poſtulante neceſſitate. Itaque nihil moliemur adverſus eos, qui nobiſcum in acie ſteterunt. Nam & alteri, ut profitentur, jam ſocii noſtri ſunt: & alteri nunc nobiſcum ſe conjungent, & quid exoptemus aliud? At ſi Lacedæmonii

jure violato bellum illis intulerint, equidem si hæc sola quæstio verteretur, utrum nos Lacedæmoniis Megalopolim condonare debeamus, necne: non repugno (quanquam iniquum id esset) condonemus, neque quicquam illis adversemur, qui tunc eadem pericula una nobiscum adierunt. Sin vero scitis omnes, hac capta, eos Messenam aggressuros: dicat mihi aliquis istorum, qui Megalopolitis nunc infesti sunt, quid nobis tum suasurus sit? Nemo respondet. Atqui scitis omnes, sive isti suadeant, sive dissuadeant, opem esse ferendam: cum propter ictum cum Messeniis fœdus, tum quia expedit, ut ea urbs incolatur. Cum animis igitur vestris cogitate, utrum initium nobis honestius futurum sit, & humanius, (38) ad coercendas injurias Lacedæmoniorum: hoc ne pro defensione Megalopolis, an illud ad Messenam tuendam? Nunc quidem Arcadibus opitulari vos, & pacis conservationi studere, pro qua periclitati estis, & in acie dimicastis, apparebit. Tum vero perspicuum erit omnibus, vos Messenam velle incolumem, non tam æquitatis causa, quam metu Lacedæmoniorum. Semper autem spectari, & agi debent ea, quæ justa sunt: simulque danda est opera, ut eadem etiam expediant. Affertur & talis quædam ratio ab adversariis nostris: dandam esse operam, ut Oropum recipiamus; quod si eos, qui ad eam rem adjutores alioqui fuissent, abalienaverimus, socii nobis sint defuturi. Ego vero dandam esse operam, ut Oropus recuperetur, & ipse affirmo: sed hostes nobis fore Lacedæmonios, si nunc societatem cum Arcadibus, qui amici nobis esse volunt, coierimus: dictu nefas solis illis esse puto, qui nobis persuasere, ut Lacedæmoniis periclitantibus subveniremus. Nam hæc qui dicunt, autores fuere, quum omnes Peloponnenses huc venissent, ductu & auspiciis vestris Lacedæmonios oppugnaturi, ut & illos repudiaremus: qua illi de causa (id quod eis erat reliquum) ad Thebanos se contulerunt: & pro incolumitate Lacedæmoniorum, non modo pecuniam confer-

conferremus, ſed vitam etiam noſtram in diſcrimen adduceremus. Atqui ne vos quidem eos ſervare voluiſſetis, ſi hoc vobis ante dixiſſent iſti, conſervatos eos, niſi omnem licentiam daretis denuo faciendi quæ vellent, & graſſandi, nullam de accepta ſalute gratiam vobis habituros. Imo etiamſi conatibus Lacedæmoniorum vehementer adverſum eſt, (29) Arcades in ſocietatem noſtram recipi; decet tamen eos majorem nobis habere gratiam, pro eo quod in ſummis ope veſtra periculis conſervati ſunt: quam propterea nunc inaſci, quod illorum injuriis obſiſtatis. Quo pacto igitur nos ad Oropum recuperandum non juvabunt, niſi omnium mortalium ingratiſſimi eſſe velint? id quod ego mehercule non video. Jam eos quoque demiror, qui cauſam hanc prætexunt, videri noſtram civitatem, incunda cum Arcadibus ſocietate, & his agendis, inconſtantiæ & perfidiæ opinionem ſubituram. Mihi enim, Athenienſes, contrarium videtur. Cur? quia neminem omnium negaturum arbitror, a noſtra urbe & Lacedæmonios, & prius Thebanos, & poſtremo Eubœenſes conſervatos, & poſtea in ſocietatem receptos eſſe, quum quidem unum & idem ſemper ſpectaret. Illud vero quidnam eſt? ut oppreſſos injuriis erigeret, ac tueretur. Quod ſi ita eſt, non jam levitatis crimen in nobis hærebit, ſed in illis, qui pari & æquo jure vivere nolunt: atque apparebit, mutari negotia propter eos, qui per injuriam ſuperiores ſemper eſſe ſtudent: civitatem noſtram eandem manere. Mihi vero videntur Lacedæmonii ſingulari agere calliditate. Nunc enim illi aiunt, Eleis quaſdam Triphyliæ partes reſtituendas: Phliaſus Tricaranum: aliis quibuſdam Arcadibus patriam reddendam, nobis Oropum: non ut noſtrum quemque, id quod ſuum eſt, habere videant: longe alia ratio eſt, nova enim in eos inceſſiſſet iſta humanitas: ſed ut, dum omnibus adjutores videantur ad ea recuperanda, quæ ſinguli ſua eſſe contendunt, ipſis Meſſenam oppugnaturis, aut omnes ejus expeditionis ſocii, & ſtrenui

nui adjutores ſint: (40) aut cum eos ſuffragatores habuerint in iis vendicandis, quæ illi ſua eſſe contenderant, niſi parem gratiam iidem retulerint, injurii videantur. Ego vero exiſtimo, a noſtra urbe, etiamſi nullos Arcades Lacedæmoniorum libidine permiſerit, Oropum poſſe recuperari, & illis (modo æquum facere velint) adjuvantibus, & cæteris omnibus annitentibus, quibus iniquum videtur a Thebanis aliena detineri. Etſi autem hoc nobis certo conſtaret, niſi Lacedæmonios Peloponneſum ſubvertere ſineremus; nos Oropum capere non poſſe, optabilius (ſi dicere liceat) cenſeo, miſſum facere Oropum, quam Meſſenam & Peloponneſum Lacedæmoniorum objicere violentiæ. Nec enim hanc duntaxat rationem nobis cum eis eſſe exiſtimo. Sed ut omittam id, quod in mentem mihi venerat: illud fore opinor, ut multis de rebus periclitemur. Ea porro quæ Megalopolitas Thebanorum cauſa contra nos egiſſe dicunt, abſurdum eſt, nunc accuſationis proferre loco: quum autem amici fieri volunt, ut contra nobis beneficiant, obtrectare: ac omnibus modis dare operam, ne amici fiant: nec animadvertere, quo fideliores eos fuiſſe Thebanis oſtenderint, eo ſe majore ſupplicio dignos eſſe, qui noſtram urbem talibus ſociis, cum prius ad nos quam ad Thebanos veniſſent, ſpoliarint. Sed iſta nimirum vecordium hominum ſunt, qui aliis hos efficere ſocios volunt. Illud autem, quantum, ſuſcepta, cogitatione diligenti, conjectura poſſis aſſequi, pleroſque veſtrum mihi eſſe affenſuros arbitror, ſi Megalopolim Lacedæmonii ceperint, (41) periclitari Meſſenam: quod ſi & hanc expugnarint, dico vos Thebanorum ſocios futuros. Longe igitur honeſtius & præſtabilius eſt, ut Thebanorum ſocios ipſi ſuſcipiamus, & Lacedæmoniorum avaritiam reprimamus: quam ut nunc verentes, ne ſocios Thebanorum conſervemus, hiſce deſertis, poſtea ipſis Thebanis opitulemur, atque inſuper de nobis ipſis in metu & periculis ſimus. Neque enim noſtræ urbi tutum eſſe puto, ut Lacedæmonii

dæmonii Magnam urbem capiant, & rursus magnifiant: quum videam, eos etiam nunc susceptisse bellum, non suæ defensionis causa, sed ob veterem potentiam recuperandam. Quæ vero, dum illam obtinerent, appetierint, ea vos, cum magis fortasse quam ego sciatis, jure metuetis. Admodum autem ex oratoribus audire velim, qui se & Lacedæmonios & Thebanos odisse dictitant, utrum utrique illos, quos sane oderunt, propter vos & utilitatem vestram oderint, an vero in gratiam Lacedæmoniorum Thebanos, & Thebanorum causa Lacedæmonios utrique? Quod si propter illos, dixerint, neutris, utpote furiosis, obtemperandum est: sin vestra causa dicturi sunt, cur ultra quam sat est, tempusque patitur, alteros extollunt? Possunt enim, possunt Thebani deprimi, etiamsi Lacedæmoniorum opes non augeantur, & omnino facilius. Quo autem pacto, id ego vobis declarare conabor. Universi hoc scimus, omnes, etiamsi justitiam non curent, erubescere tamen ad tempus, ea quæ justa sunt non agere; & hominibus injuriis palam adversari, præsertim si qui læduntur: hac re labefactari omnia inveniemus, & hoc principium esse malorum omnium, quod homines nolunt ea simpliciter agere, quæ justa sunt. Ut ne igitur hoc impediat, (42) quo minus Thebanorum opes minuantur, & Thespias, & Platæas, & Orchomenum instaurari oporteri dicamus: eosque adjuvemus, & alios ut idem faciant, hortemur. Est enim & honestum & æquum, ne vetustas urbes eversas esse patiamur. Megalopolim autem & Messenam injuriosis non objiciamus: neque prætextu Thespiensium & Platæensium, incolumes urbes, quæque habitantur, excindi sinamus. Quod si hæc provulgata fuerint, nemo erit, quin Thebanos velit alienos agros tandem amittere: sin minus, primum hi nobis adversabuntur, ne illa confici possint; nec injuria, quum existimabunt illarum urbium instaurationem excidium sibi allaturam; deinde nostri conatus erunt irriti. Nam quis tandem

dem erit exitus, ſi urbes incolumes excindi ſinemus, exciſas inſtaurari poſtulabimus? Dicunt porro qui æquiſſima dicere videntur, oportere Arcades erectas cum Thebanis columnas tollere, ſi modo nobis conſtanter ſocii eſſe debeant; alii columnas ejs eſſe negant, ſed utilitatem eſſe, quæ amicitiam conciliet, & eos haberi pro ſociis, a quibus adjuventur. Ego vero, ſi maxime tales ſunt, ita ſentio: Poſtulandum eſſe dico, ſimul, ut hi ſtatuas tollant, ſimul, ut Lacedæmonii pacem agant. Utri autem ita facere noluerint, tum ſcilicet eos adſciſcendos, qui dicto fuerint audientes. Sive enim, pace conciliata, Megalopolitæ adhuc Thebanorum ſocietati adhærebunt, omnibus nimirum perſpicuum erit, avaritiam & emolumenta Thebanorum, non æquitatem, eos ſequi: ſive Megalopolitæ ſocios nos ſine fraude facient, & Lacedæmonii pacem turbare tamen conabuntur: celare profecto neminem poterunt, ſe non de hoc laborare, ut Theſpiæ inſtaurentur, (43) ſed ut Thebanis hoc bello confligentibus, interim ipſi Peloponneſum ſubigant. Demiror autem quoſdam, qui formidandum cenſent, ſi Thebanorum ſocii Lacedæmoniorum hoſtes ſint, ſed ſi Lacedæmonii illos ipſos everterint, id formidandum non cenſent: præſertim cum tempus reipſa nos docuerit, Thebanos ſemper his ſociis uti contra Lacedæmonios: Lacedæmonios autem, dum eoſdem habuere, contra nos illis fuiſſe uſos. Proinde illud etiam cogitandum cenſeo, ſi vos Megalopolitas non reciperitis, iis expugnatis & profligatis, Lacedæmonios ſtatim fore potentes. Sin forte manſerint incolumes (ſicuti nonnulla jam præter ſpem evenerunt) firmos Thebanorum ſocios merito futuros: ſi autem eos vos reciperitis, ſalutem ſuam vobis acceptam relaturos. Verum eventum & periculi conſiderationem transferamus ab illis, idemque negotium in Thebanis & Lacedæmoniis conſideremus. Si igitur Thebani, bello, ut debent, ſubacti fuerint, juſto majores non erunt Lacedæmonii: quod Arcades adverſarios in vicinia habebunt. Sin

Thebani

Thebani forte emerſerint, incolumeſque manſerint, & non conciderint: ſaltem infirmiores erunt, poſtquam hi ſocii nobis facti, & per nos conſervati fuerint. Quare modis omnibus expedit, ut Arcades neque deſeramus, neque committamus, ſi forte manſerint incolumes, ut aut ſuis evaſiſſe viribus, aut aliorum opera, ac non veſtra ope conſervati eſſe videantur. Ego quidem, Athenienſes, deos teſtor, me neutros vel amare vel odiſſe privatim: ſed ea dixiſſe, quæ vobis profutura putem; & vos hortor atque moneo, ne Megalopolitas deſeratis, aut omnino ullum imbecilliorem objiciatis violentiæ potentiorum.

DEMOSTHENIS OLYNTHIACA I.

LIBANII ARGUMENTUM OLYNTHIACÆ PRIMÆ.

OLYNTHUS *Thraciæ fuit urbs, eam Græci tenuerunt, oriundi Chalcide: quod eſt Eubœæ oppidum, Athenienſium colonia. Multa porro & præclara Olynthii, ut & cum Athenienſibus, qui Græcis imperarunt olim, & item cum Lacedæmoniis, bella geſſerunt: ac magnam tandem adepti potentiam, inter cognatas civitates excelluerunt. Non parva enim in Thracia Chalcidicæ gentis multitudo fuit. Poſt, inita cum Philippo rege Macedoniæ ſocietate, Olynthii cum eo primum Athenienſibus arma intulerunt: idque partim ob Anthemuntem oppidum acceptum, de quo inter Macedones & ipſos contentio fuerat, partim ob Potidæam, quam Philippus expugnatam ereptamque Athenienſibus, Olynthiis tradiderat. Tandem ſuſpectum habere cœperunt regem, quod & magnæ ejus ſubitaque incrementa, & parum*

fidum

fidum esse ingenium viderent. Observato igitur tempore, quo is peregre abesse, missis legatis (45) pacem cum Athenienſibus fecerunt, in quo ictum cum Philippo fœdus violabant. Pacti enim fuerant, se communiter bellum & gesturos cum Athenienſibus, &, si aliud visum esset, communiter composituros. Philippus autem jampridem causam contra eos quæritans, tum vero hanc nactus, bellum eis ut fœdifragis, & cum hostibus suis amicitiæ fœdere conjunctis, infert. Quare hi legatos Athenas mittunt ad petendum auxilium, iis Demosthenes patrocinatur, & opem ferre jubet Olynthiis, quod in eorum salute sit posita securitas Athenienſium. Nunquam enim Philippum, salvis Olynthiis, in Atticam venturum: Athenienſes autem facultatem habituros esse navigandi in Macedoniam, atque in ea gerendi belli. Sin urbs hæc a Philippo subacta fuerit, apertam esse viam regi ad invadendum Athenienſes. Negat autem Philippum tam superatu esse difficilem, quam putetur; ut animos contra eum faciat Athenienſibus. Disserit etiam de pecunia publica: suadetque, ut a spectaculis ad militiæ usum transferatur. Ac morem, quo Athenienſes quondam sunt usi, minus notum, explicari necesse est. Cum olim non saxeum esset apud eos theatrum, sed ex ligneis tabulis coassatum, omnesque locum occupare properarent, & verberibus & vulneribus etiam interdum alii alios afficiebant. Quod magistratus Athenienſium prohibituri, vænalia fecerunt loca, ut nemo nisi binis obolis numeratis, ad spectandum admitteretur. Ne vero pauperes (46) eo sumptu premi viderentur, constitutum fuit, ut e publico binos illos obolos quisque acciperet. Quæ consuetudo inde orta, eo usque processit, ut non eo nomine duntaxat acciperent, sed prorsus omnem pecuniam publicam distribuerent. Unde etiam ad militiam segnes facti sunt: quam enim pecuniam olim propter expeditiones e publico in stipendium accipiebant, eam tum in spectaculis & festis domi partiebantur. Nolebant

lebant igitur jam egredi, & ſubire pericula: ſed & legem ſciverant de theatrali hac pecunia, quæ mortem minitaretur ei qui autor eſſet, ut ea in veterem ordinem reponeretur, fieretque militaris. Quare Demoſthenes caute hanc conſilii partem attingit, ſeque ipſe interrogans, Tune jubes, ut hæc militaris fiat? reſpondet, Minime vero equidem. Atque hæc de theatrali pecunia. Diſſerit orator etiam de urbanis copiis: ipſis civibus eſſe militandum, non, ſicuti ſolebant, per milites peregrinos opem ferendam cenſens, eam enim cauſam eſſe aſſerit, cur res male geratur.

ARBITROR vos, Athenienſes, eam rationem magnæ pecuniæ prælaturos, qua explicetur, quid in hoc negotio futurum ſit e republica, de quo nunc deliberatis. Quod cum ita ſit, æquum eſt, ut ultro & alacriter eos, qui conſilium dare volunt, audiatis. Neque enim, ſi quid utile meditatus aliquis attulerit, id audire ſolum, amplectique licebit: ſed illud etiam veſtræ (47) fortunæ eſſe puto, ut multa opportuna dictu ſubito nonnullis in mentem veniant. Quamobrem ex omnibus facile vos utilia deligetis. Tempus certe quidem hoc, Athenienſes, tantum non edita voce loquitur, vobiſmetipſis eſſe curam rerum illarum ſuſcipiendam, ſi modo eas conſervare ſtudeatis. Nos vero neſcio quomodo mihi eſſe videmur erga illas animati. Sunt autem quæ mihi quidem videantur, hæc; & auxilia jam eſſe decernenda, & quam celerrime eſſe apparandum bellum, ut hinc opem feratis; & non idem admittatis, quod etiam prius; & legatos mittendos eſſe, qui hæc dicant, & rebus interſint. Nam hoc maxime timendum eſt, ne Philippus (ut eſt homo callidus, & in rebus gerendis acer) partim concedendo, ubi res ita tulerit, partim minitando (qua quidem in parte non immerito illi fides habebitur) partim nos & abſentiam noſtram criminando, de ſumma rerum inter-

vertat aliquid, & ad ſeſe transferat. Verum illud peropportune cadit, Athenienſes, ut quod ſummo Philippi rebus præſidio eſt, idem vobis vel utiliſſimum ſit. Nam quod is unus omnia & arcana & aperta moderatur, ac ſimul & dux eſt, & dominus, & quæſtor, & ipſe ubique adeſt exercitui, ad res bellicas celeriter & tempeſtive conficiendas multum quidem valet: ſed pacificationi, quam cum Olynthiis facere cupit, adverſatur. Neque enim obſcurum eſt Olynthiis, hoc agi bello non exiſtimationem ſuam, aut agri partem, ſed excidium patriæ & ſervitutem; norunt etiam quomodo cum Amphipolitis egerit, (48) qui urbem ei dediderunt: & cum Pydnæis, qui urbe receperunt. Denique tyrannis, mea quidem ſententia, reſpublicæ nihil habere fidei debent, præſertim finitimis. Quæ cum ita eſſe intelligatis, Athenienſes, cætera quæ decent omnia, vobis cogitanda eſſe affirmo, ut velitis & excitemini, belloque ſi unquam, nunc certe maxime incumbatis; nec pecuniam tantum prompte conferatis, ſed & ipſi militetis, nec in vobis quicquam deſiderari patiamini. Nulla enim jam ratio vobis, nulla excuſatio, quo minus officio fungi velitis, relinquitur: nam quod omnes jactabatis, Olynthios in Philippum eſſe concitandos, id ultro nunc accidit: eaque ratione, qua maxime vobis expediat; nam ſi veſtro impulſu bellum ſuſcepiſſent, ſocii fortaſſe parum firmi, atque ad tempus in ea ſententia fuiſſent. Quoniam autem eum ob illata ſibi crimina oderunt; firmas eos probabile eſt cum eo, propter ea quæ & metuunt & perpeſſi ſunt, gerere inimicitias. Quare non negligenda eſt talis oblata occaſio: neque committendum, ut idem vobis accidat, quod ſæpe jam prius accidit. Si enim nos, cum defenſis Eubœenſibus rediremus, atque Hierax & Stratocles Amphipolitæ, hoc ſuggeſtu conſcenſo, vos ſolvere, atque oppidum in fidem accipere juberent, pari ſtudio privatis rationibus noſtris conſuluiſſemus, ac ſalutem Eubœenſium tutati eramus, et Amphipolim tum obtinuiſſetis, & omnibus

quæ deinde ſecuta ſunt negotiis, fuiſſetis liberati. Rurſus, cum Pydnam, Potidæam, Methonen, Pagaſas, cætera (ne ſingulis commemorandis immorer) obſideri nunciaretur, ſi tum harum urbium vel uni primæ, alacriter, & ut decuerat (49), opem tuliſſemus ipſi, faciliore & multo humiliore nunc uteremur Philippo. Nunc, dum præſentia ſemper amittimus; & futura ſua ſponte ſe recte habitura opinamur & auximus, Athenienſes, Philippum nos & tantum effecimus, quantus nemo unquam fuit rex Macedoniæ. Nunc autem venit occaſio, quæ? hæc quam offerunt Olynthii ultro civitati, nulla priorum illarum deterior. Ac ſi quis (ut mihi quidem videtur) liberalitatem erga nos divinam recte æſtimet, is, tametſi multa non ita ſint, ut deberent, magnam tamen diis gratiam ſit habiturus, idque jure ac merito. Nam quod multa bello amiſimus, id negligentiæ noſtræ acceptum referre jure poſſis. Quod autem neque olim hoc factum, & oſtenſa jam nobis eſt quædam ſocietas, quæ ſit idonea cladibus hiſce depellendis, modo uti velimus; divinæ benevolentiæ beneficium equidem interpretor. Sed perinde ſit ſcilicet ut & in paranda pecunia, ſi quis eam quam acceperit, etiam ſervarit, magnam habet fortunæ gratiam: ſin imprudens conſumpſerit, una conſumpſit & accepti a fortuna beneficii memoriam. Sic etiam in rebus gerendis, qui occaſionibus uſi non recte ſunt, ii tametſi boni quippiam divinitus obtigit, haud meminerunt. Ex ultimo enim eventu, de iis quæ præceſſerunt omnibus, ſit plerumque judicium. Quapropter vobis ea quæ reſtant, Athenienſes, magnæ curæ eſſe debent, ut his vitiis correctis, impreſſam ob res ſic adminiſtratas infamiæ notam exteramus. Quod ſi hos quoque homines deſtituerimus, Athenienſes, atque ille Olynthum everterit (50): dicat mihi aliquis, quid reſtet, quod illum, quo minus eat quo velit, remoretur? Nunquis veſtrum cogitat, Athenienſes, & ſpectat, quemadmodum magnus evaſerit, infirmus cum eſſet initio, Philippus? Primum Amphi-

poli capta, poſtea Pydna, mox Potidæa, denique Methone, poſtremo Theſſaliam invaſit. Demum, quum Pheras, Pagaſas, Magneſiam, omnia ſuo arbitratu compoſuiſſet, in Thraciam abiit. Deinde ibi regibus aliis ejectis, aliis conſtitutis, in morbum incidit, ex eo paululum recreatus, non ad ſocordiam ſe deflexit, ſed ſtatim Olynthios eſt aggreſſus. Ejus autem in Illyrios ad Pæones, & adverſus Arymbam, & quo non? prætereo expeditiones. Quid ergo, inquiet aliquis, iſta nobis commemoras nunc? Utrumque ut cognoſcatis, Athenienſes, & ſentiatis, tum projicere ſingulatim ſemper aliquid rerum, quam non expediat: tum perpetuam in rebus gerendis alacritatem, qua erga omnes Philippus utitur: præ qua fieri non poterit, ut rebus geſtis contentus, in otio ſe contineat. Qui ſi in ea ſententia erit, ut augendo ſemper opes ſuas, & gloriam augendam cenſeat, nos autem nullius rei curam conſtanter & ſerio ſuſcipiemus: conſiderate, quem tandem harum rerum exitum fore ſit ſperandum. Quis veſtrum, per Deos, adeo ſocors eſt, qui neſciat, bellum inde ad nos venturum, ſi neglexerimus? Verum id ſi fiat, vereor, Athenienſes, ne quemadmodum ii, qui temere pecuniam magno fœnore mutuo ſumunt, atque illa pauliſper locupletati, poſt etiam patrimoniis evertuntur: ſic & nobis ſegnitiem noſtram magno conſtitiſſe appareat; (51) & dum ad voluptatem omnia referimus, in eam tandem neceſſitatem veniamus, ut multa, eaque gravia, ferenda ſint, quæ facere noluimus hactenus, deque agro noſtro ſit dimicandum. Ac reprehendere quidem, dixerit forſan aliquis, eſſe facile, & cujuſvis; quid autem de his rebus ſtatuendum ſit, pronunciare, id eſſe conſiliarii. Ego vero, quanquam illud non ignoro, ſæpe vos non iis qui ſunt in culpa, ſed his, qui poſtremi ſententiam dixerint, iraſci, ubi quid ex ſententia non evenerit: non tamen arbitror meæ privatæ ſalutis ita habendam eſſe mihi rationem, ut quicquam diſſimulem, quod e re veſtra futurum eſſe ducam. Cenſeo igitur, duobus

vos

vos oportere modis rebus ſuccurrere, tum urbes Olynthiorum tuendo, & milites, qui id agant mittendo; tum regnum ejus vaſtando, & triremibus & militibus aliis. Quod ſi alterutrum neglexeritis, vereor ne irrita ſit futura expeditio veſtra. Sive enim agrum ſuum a vobis diripi vexarique paſſus, ipſe interim Olynthum ſubegerit; facile, domum reverſus, ſua defendet: ſive præſidia vos duntaxat Olynthum miſeritis, videns rem domi in tuto eſſe, aſſidebit & ducet bellum, mora obſidionis eos ſuperabit. Auxilia igitur & magna & bipertita eſſe oportet. Ac de auxiliis hæc ſtatuo. Quod autem ad pecuniam comparandam attinet, eſt, Athenienſes, pecunia vobis, eſt quanta omnium mortalium nemini, militaris: eam vero vos ſic ut vultis capitis. Quam ſi militantibus reſtitueritis, nullo erit opus commeatu; ſin minus, opus erit, vel nullus potius ſatis erit commeatus (52). Quid igitur, dicat aliquis, tu ne autor es, ut ea ſit militaris? Ego vero nequaquam. Ego enim conſcribendum exercitum cenſeo, & hanc pecuniam eſſe debere militarem, & unam eſſe rationem, eandem & faciendi & accipiendi quæ oporteat. Eam vero vos ita capitis, ut feſta celebretis, & res fere nullas geratis. Reliquum igitur id eſt, ſcilicet, ut omnes tributum conferant; ſi multis opus erit, multum, ſin paucis, parum. Omnino certe pecuniis eſt opus, nec ſine his quicquam poteſt rite adminiſtrari. Indicant etiam alias alii parandæ pecuniæ vias; e quibus eam vos eligetis, quæ maxime conducere videbitur, & rerum curam, dum occaſio adeſt, ſuſcipietis. Illud etiam eſt operæ pretium cogitare & reputare, quo in loco nunc ſint res Philippi. Neque enim (ut videatur & dici poſſit, re non ſatis conſiderata) ſtatus ejus hoc tempore præclarus eſt, aut pulcherrimus. Neque intuliſſet ille hoc bellum unquam, ſi gerendum fore cenſuiſſet; nam tum primo ſtatim impetu ſe omnem rem confecturum ſperabat: qua ſpe fruſtratus eſt. Hoc igitur primum illum turbat, cum

præter expectationem evenerit, & magnam illi movet ægritudinem. Deinde motus etiam Theſſalorum. Nam hi quidem natura nimirum & ſemper omnibus mortalibus infidi fuerunt. Quales autem ſunt, tales eos nunc & ille cum primis experitur. Decreverunt enim Pagaſas ab eo repoſcere, & Magneſiam muniri vetuerunt. Præterea quoſdam audivi ego, qui dicerent, non conceſſuros ei Theſſalos poſthac portoriorum & vectigalium uſumfructum, quod Theſſalorum reſpublicas inde ſuſtentari, non ea intercipi a Philippo oporteat; qua pecunia privatus ſi fuerit, in arctum admodum ei ſtipendia peregrini militis redigentur. Jam (53) Pæonem & Illyrium, cæteros denique omnes exiſtimandum eſt, ſui juris & liberos, quam ſervos, eſſe malle. Inſueti enim ſunt cuiquam parere per omnia, & homo importunus eſt, ut aiunt: neque profecto id incredibile fortaſſis eſt. Nam res ſecundiores quam par eſt, temeritatis occaſionem incautis præbent. Quare ſæpe videtur parta tueri bona eſſe difficilius, quam parare. Statuetis igitur, Athenienſes, incommoditates illius veſtras eſſe commoditates, & occaſionem ſtrenue urgebitis, nec legatos duntaxat mittetis, quo mittendi ſunt, ſed & ipſi militabitis, & alios omnes concitabitis. Nam ſi Philippo talis contra nos daretur opportunitas, & bellum prope noſtros fines oriretur, quam cupide putatis eum in nos invaſurum? Et non pudeat vos, ſi nec ea quæ ferretis, ſi poſſet ille, data occaſione, facere audeatis? Præterea ne hoc quidem vos prætereat, Athenienſes, nunc optionem dari vobis, utrum vos illic oporteat bellum gerere, an apud vos illum? Si enim Olynthiorum opes manſerint incolumes, vos illic pugnantes, cum illius regnum vaſtabitis, tum ſecure hac veſtra terra fruemini. Sin illa Philippus occuparit: quis eum porro huc ire prohibebit? Thebani? ne ſit dictu acerbius, etiam expedite una irrumpent. An Phocenſes? qui ne ſua quidem ſine veſtris auxiliis tueri poſſunt. Aut alius quiſpiam? At hercule nolet.

Omnium

Omnium certe abſurdiſſimum fuerit, ſi, quæ nunc, etiam cum ſtultitiæ reprehenſione, tamen eloquitur, ea, data poteſtate non faceret. Quantum autem interſit, (54) hic an illic bellum geratur, verbis nihil opus eſſe arbitror. Si enim oporteret vos ipſos triginta duntaxat dies foris eſſe, & quæ alendo ſunt exercitui, e noſtri agri proventibus petere (ſi nullus inquam hoſtis in eo verſaretur) id damnum quod ii veſtrum, qui agros colitis, facerent, majus fore totius belli ſuperioris impenſis arbitror. Quod ſi quæ hoſtiles copiæ venerint, quantæ clades erunt metuendæ? Accedet protervitas, atque inſuper ipſius rei dedecus, quod nullo minus eſt detrimento, ſanis quidem hominibus. Quare omnia hæc in conſpectu habere, atque univerſi adjuvare, & bellum illuc amoliri debent; divites, ut, pro multis, quæ Deum benignitate poſſident, pauca impendentes, reliqua ſecure teneant: juvenes, ut in Philippi regno parta bellandi peritia, terribiles incolumis patriæ cuſtodes fiant: oratores, ut in reddendis rationibus adminiſtrationem ſuam facile tueri poſſint. Nam ut eæ res erunt, quæ vobis evenient, ita & vos de actis eorum judicabitis. Quæ utinam bonæ ſint, & officio fungantur omnes.

DEMOSTHENIS
OLYNTHIACA II.

LIBANII ARGUMENTUM.

Admiſerant legationem Olynthiorum Athenienſes, & auxilia eis decreverant: ſed expeditionem differebant, metuentes, ne ſibi difficile cum Philippo bellum eſſet futurum. Demoſthenes igitur progreſſus, confirmare populum ſtudet: atque oſtendit quam infirmæ ſint opes Macedonis. Nam & ſociis eum ſuſpectum

pectum esse ait, & suis viribus parum valere, quum Macedones per se infirmi sint.

CUM multis in rebus, Athenienses, perspici mihi posse videtur deorum immortalium benevolentia declarata erga rempublicam, tum vero in hoc negotio. Quod enim hostes Philippi extiterunt ii, qui & finitimam ei regionem tenent, & potentia nonnulla præditi sunt, &, quod omnium maximum est, de hoc bello ita sentiunt, ut conditiones pacis quæ cum illo fiat, primum infidas, deinde patriæ suæ exitiosas esse putent (56), admirabile, quoddam esse apparet, ac divinum omnino beneficium. Illud igitur jam providendum erit, Athenienses, ne ipsi de nobis pejus mereri, quam fortuna videamur. Nam turpe, imo turpissimum fuerit, non modo urbes & loca, quæ aliquando tenuimus, palam abjicere, sed etiam a fortuna comparatos & socios & occasiones. Ac Philippi quidem vires recensere, Athenienses, & iis verbis ad officium faciendum vos exhortari, non consultum esse existimo, quamobrem? quia quicquid ea de re dixeris, id ut ei aliquid afferre laudis, sic a nobis non præclare administratum esse videatur. Quo enim is plura supra dignitatem suam gessit, eo admirabilior apud omnes habetur: vos quanto deterius, quam decuerat, usi rebus estis, tanto majorem ignominiam suscepistis. Hæc igitur omittam. Etenim, si quis vere consideret, Athenienses, hinc eum videat magnum esse factum, non a semetipso. Proinde quas ille res acceptas iis referre debeat, qui ex ejus commodo rempublicam administrarunt, quosque vos suppliciis coercere deceat: nunc non esse video narrandi locum. Quæ autem etiam præter hæc se offerunt, & vobis omnibus utilissima sunt auditu, & magni, Athenienses, illi esse probro apparebit, si qui recte æstimare velint; ea dicere conabor. Eum igitur perjurum

jurum & perfidum vocare, ſine demonſtratione facinorum, convicium eſſe inane jure dicas. Quæ autem unquam geſſit, ea recenſeri ac coargui omnia brevi poſſe, & mihi quidem, duabus de cauſis (57) utilia eſſe dictu videntur: tum ut illum, id quod res eſt, improbum eſſe conſtet; tum ut qui Philippi timore attoniti ſunt, quaſi is ſuperari non poſſit, videant, eum percurriſſe omnia, quibus dudum per impoſturam magnitudinem hanc ſuam auxit, & ad ipſum accedere finem res ejus. Ego, Athenienſes, valde ducerem & ipſe formidabilem eſſe, & admirabilem Philippum, ſi juſtis eum creviſſe actionibus viderem. Nunc, cum rem diligenter conſidero, reperio, Philippum, ea re noſtram ab initio ſocordiam, cum Olynthios quidam hinc repulerunt, orationem apud nos habituros, quod ſe Amphipolim nobis traditurum, & illud quod aliquando jactabatur, clam confecturum diceret, pellexiſſe: Olynthiorum deinde amicitiam ſibi adjunxiſſe, expugnanda Potidæa noſtro oppido, & ereptam nobis prioribus ſociis, per injuriam, illis tradendo: Theſſalos nunc poſtremo ſibi conciliaſſe, promittendo, ſe eis Magneſiam traditurum, & recipiendo, ſe Phocenſe bellum pro eis geſturum. Denique nemo eſt eorum, qui ipſo uſi ſunt, quem non deceperit. His enim artibus crevit, ut ſemper eorum, a quibus ignoraretur, imprudentiam circumveniret atque aſciſceret. Ut igitur per hæc alte aſcendit, dum quiſque aliquo ſe ab eo beneficio affectum iri putabat, ſic per eadem hæc etiam dejici rurſus eum oportet, poſtquam compertum eſt, eum ad ſuam utilitatem referre omnia. In eo igitur loco res Philippi nunc ſunt, Athenienſes, aut prodeat aliquis, & mihi ac potius vobis oſtendat, vel hæc a me non vere dici, vel eos qui primum decepti ſunt, (58) in cæteris eos credituros, vel, aliter quam merebantur, ſervitute oppreſſos Theſſalos, nunc non teneri deſiderio recuperandæ libertatis? Quod ſi quis veſtrum hæc quidem eſſe ducit, ſed eum vi retenturum

tenturum imperium opinatur, quod loca & portus, & alia ejus generis præoccuparit: non recte opinatur. Cum enim benevolentia res componuntur, & omnibus belli sociis eadem expediunt, & conferre operam, & ferre ærumnas, & perseverare volunt homines. Si quis autem per avaritiam & improbitatem, ut ille, fit potens: prima quæque occasio & parvum erratum omnia retrahit & dissolvit. Non enim fieri, non fieri potest, Athenienses, ut per injurias, & perjuria, & mendacia stabilis potentia comparetur. Nam talia semel & ad breve tempus consistunt, & spem de se fortasse magnam præbent, sed tandem patefiunt, & ultro collabuntur. Nam, mea quidem sententia, ut ædium & navis & aliarum rerum ejus generis, infirmas partes firmissimas esse oportet: sic etiam actionum initia & fundamenta, vera & justa esse convenit. Id vero non inest nunc in rebus a Philippo gestis. Itaque censeo a nobis & opem ferendam esse Olynthiis (quod quo pulchrius & celerius quisque fieri jusserit, eo magis mihi probabitur) & ad Thessalos legationem mittendam, quæ alios hæc edoceat, alios exhortetur. Nunc etenim Pagasas reposcere, & de Magnesia verba facere decreverunt. Illud tamen providete, Athenienses, ne verba duntaxat afferant legati nostri; sed ut opus aliquid ostendere possint, exercitu a vobis pro dignitate civitatis educto,(59) et ipsa re suscepta. Nam cum omnis oratio, si res absint, frivolum quiddam habetur et inane; tum vero ea quæ a nostra urbe proficiscitur. Qua quo expeditius uti nos putant, eo magis ei diffidunt omnes. Ostendenda autem est insignis conversio, et magna mutatio, conferendo tributo, militando, omnia strenue gerendo, si modo quisquam vobis fidem habere debeat. Quæ si voletis, ut convenit et oportet, absolvere; non solum, Athenienses, fœderatos infirmos et infidos apparebit esse Philippo, sed etiam domesticum ejus imperium et copias laborare deprehendetur. Omnino enim Macedonica potentia et imperium, additamenti

ditamenti vice non parvum ſane quiddam eſt; cujuſmodi vobis aliquando fuit, imperatore Timotheo, contra Olynthios, atque iterum, contra Potidæam Olynthiis viſum eſt, eſſe aliquid utrumque conjunctum. Nunc Theſſalos ſeditione laborantes et conturbatos, idem contra tyrannicam familiam adjuvit. Denique nihil eſt opinor, quin, quantumvis parvis additis viribus adjuvetur. Ipſum vero per ſe infirmum, ac multis malis eſt refertum. Etenim iſte his rebus omnibus, ob quas magnum eum putes, bellis et expeditionibus, ruinoſius etiam id, quam ſuapte natura fuerat, ſibimet effecit. Neque enim putetis, Athenienſes, iiſdem delectari rebus et Philippum et populum ejus. Nam ut ille gloriam appetit, eamque rem admiratur, atque inſtituit, gerendis rebus, et periculis adeundis, nullum caſum recuſare, et hanc opinionem, ut ea perfeciſſe dicatur, quæ nullus alius Macedonum rex, vitæ ſecuritati anteponit: ſic illarum rerum gloria (60) nihil ad hos attinet; quin moleſte ferunt, ſe aſſiduis illis ſurſum deorſum obeundis expeditionibus conflictari, et continenter ærumnas perpeti; ut qui nec rei dare operam, nec vivere domi ſuæ ſinantur. Neque etiam quæ ſic quæſita tenent, ſuo arbitratu collocare poſſunt, clauſis propter bellum Macedonicis emporiis. Ac, ut vulgus Macedonum erga Philippum ſit affectum, ex his facile intelligitur. Qui autem cum eo verſantur peregrini milites et ſatellites, opinionem illi quidem excitarunt, ſe admirandos eſſe ac ſtrenuos bellatores: ſed, ut ego e quodam in Macedonia nato audivi, optimæ fidei viro, nihilo ſunt aliis præſtantiores. Nam, etſi qui inter eos viri ſint rei militaris et pugnandi periti: eos, ut eſt ambitioſus, omnes ab eo repelli dixit, omnia volente facinora videri ſua eſſe; præter enim cætera, & ambitionem viri eſſe immenſam. Si quis autem modeſtus, aut alioqui vir bonus, quotidianam vitæ intemperantiam, et ebrietatem, et ſaltationes obſcœnas ferre nequeat; eum negligi et nullo eſſe numero.

Reliquos

Reliquos igitur, quibus familiariter utatur, latrones esse, et adulatores, et tales homines qui inebriati saltare non recusent, et ad eum saltare modum, ut ego nunc apud vos dicere verear. Perspicuum autem est, hæc esse vera. Etenim quos hinc omnes expellebant, ut præstigiatoribus multo nequiores, Calliam illum ministrum publicum, et ejus generis homines, ridiculorum imitatores et opifices turpium canticorum, quæ in sodales conficiunt, ut rideatur: hos amat et secum habet. Quæ tametsi parva (61) existimari queunt, magna sunt tamen, Athenienses, indicia, si quis vere cogitet, illius ingenii et infelicitatis. Verum hæc nunc ejus successibus obscurantur, quandoquidem res secundæ magnam vim habent ad occultanda et obumbranda talia probra. At si paulum impegerit: tum in omnem ejus vitam et fortunas inquiretur. Id quod ipse, mea quidem opinione, videtur, Athenienses, brevi ostensurus, si et dii annuent, et vos voletis. Ut enim in corporibus nostris, dum valeas, nullum adeo sensum doloris afferunt singulæ partes labefactæ; sin in morbum incideris, omnia moventur, sive ruptum sit, sive luxatum, sive quid aliud vitiatum: sic et civitatum et tyrannorum, dum foris bella gerunt, obscura vulgo mala sunt; quando autem finitimum bellum conseritur, omnia eluescunt. Si quis autem vestrum, Athenienses, eo difficilem in oppugnatu Philippum esse putat, quod fortunatum esse videt: utitur is quidem sobrii hominis cogitatione. Nam multum in fortuna momenti est, ac ea potius sola in omnibus mortalium rebus dominatur. Ego tamen, si optio mihi detur, nostræ urbis fortunam (modo vos ipsi vel paululum officio fungi velletis) illius fortunæ anteferrem. Multo enim plures vobis occasiones ad divinam benevolentiam obtinendam inesse video, quam illi. Verum sedemus, ut video, otiosi. Neque vero fas est, ut qui ipse ignavus est, vel amicos aliquid agere sua causa jubeat, nedum deos immortales. Non igitur est mirandum,

ab

ab illo, cum ipſe militet & laboret, & omnibus rebus interſit, & nullam vel occaſionem vel horam prætermittat, vos, dum cunctamini, (62) & decernitis, & ſciſcitamini, ſuperari. Ego quidem hoc non miror. Contrarium potius mirum eſſet, ſi nihil agendo nos, quod bellum gerentibus convenit, eum qui ubique officio fungitur, vinceremus. Illud autem demiror, cum olim vos Lacedæmoniis, Athenienſes, bellum intuleritis pro defenſione Græcorum: & multa ſæpe privata emolumenta, quæ arripere licuit, ſitis aipernati; utque alii jus ſuum obtinerent, veſtras opes impenderitis, tributum conferendo, & pericula pro aliis adieritis militando: nunc vos dubitare exire, & ſegniter conferre pro veſtris privatis poſſeſſionibus: & cum ſæpe alios ſervaveritis, qua univerſos, qua ſingulos, veſtris amiſſis opibus vos deſidere: hæc miror: atque illud etiam, an veſtrum nemo reputare poſſit, Athenienſes, quandiu bellum cum Philippo geratis; & quare occupatis vobis, omne id tempus præterierit? Noſtis enim hoc ſcilicet, ceſſantibus vobis, alios quoſdam rem geſturos ſperantibus, aliis alios culpantibus, accuſantibus, rurſus ſperantibus, eadem fere quæ nunc, agentibus, univerſum tempus abiiſſe. Et adeo ſocordes eſtis, Athenienſes, ut per quas, e ſecundis adverſæ res factæ ſunt civitatis: per illas ipſas ſperetis actiones, eas ex adverſis fore ſecundas? At iſtud & incredibile eſt, & rerum naturæ contrarium. Multo enim facilius, quæ habeas, defendi ſolent omnia, quam parari. Nunc poſſeſſionum veterum quod tueamur, nihil a bello eſt reliquum: ſed de integro parandæ ſunt. Veſtrum igitur ipſorum id jam officium eſt. Quare ſuadeo, ut pecuniam conferatis, ipſi (63) militetis alacriter, neminem culpetis ante recuperatum imperium. Tum ex ipſis factis facto judicio, & laude dignos honoribus, & maleficos pœnis afficite: excuſationes item tollite, ceſſationemque veſtram. Neque enim fas eſt in aliorum facta acerbe inquirere, niſi in primis ipſi officiu-

um faciatis. Quid enim? cur putatis, Athenienſes, duces omnes quos mittitis, hoc fugitare bellum, & privatim invenire bella? Si, quod res eſt, etiam de ducibus eſt dicendum: quod hic præmia, de quibus bellum geritur, veſtra ſunt: Amphipolis ſi capta fuerit, vos eam e veſtigio recipietis: pericula autem ſunt imperatorum privata, merces nulla: illic, ut pericula minora, ſic emolumenta ducum ſunt, & militum: Lampſacus, Sigeum, navigia quæ ſpoliarint. Id igitur quique ſequuntur quod e re ſua eſt. Vos autem cum in res intuemini parum proſperas, præfectos arceſſitis: ubi vero facta dicendi poteſtate, neceſſitates audiviſtis, eos abſolvitis. Nobis igitur id eſt reliquum, ut inter nos litigemus & diſſideamus, aliis aliud ſentientibus: reſpublica vero male habeat. Olim enim, Athenienſes, per claſſes tributa conferebatis, nunc per claſſes rempublicam geritis: Orator utrorumque dux eſt, & imperator illi ſubjectus, & trecenti, qui ſuffragentur: reliqui attributi eſtis, alii aliis. Iſta igitur nunc ſaltem relinquetis, & ad voſmetipſos redibitis, & tum dicendi, tum conſultandi, tum agendi munus commune facietis. (64) Sin veſtrum aliquibus, tanquam regnum poſſideant, jubendi licentiam permittetis: aliis inſtituendarum triremium, tributi conferendi, militandi neceſſitatem imponetis: aliis id negotii dabitis, ut contra hos decreta duntaxat faciant, aliaque re nulla operam navent: nihil quod uſus poſtulat, unquam tempeſtive geretur. Semper enim ea pars, quæ affecta fuerit injuria, ceſſabit. Tandem vobis id relinquetur, ut eos pro hoſtibus puniatis. Quamobrem in ſumma jubeo, ut omnes, pro ſuis quiſque facultatibus, conferatis: ut omnes exeatis per vices, donec omnes militaveritis: ut omnibus iis qui prodeunt, dicendi poteſtatem detis, & ex auditis optima amplectamini, non ea quæ hic vel ille dixerit. Quæ ſi feceritis, non oratorem duntaxat in præſentia laudabitis; ſed voſmetipſos etiam poſt, ſtatu rerum veſtrarum multo florentiore.

DEMOSTHENIS OLYNTHIACA III.

LIBANII ARGUMENTUM.

Athenienſes Olynthiis auxilia miſerant, quibus aliquid profeciſſe videbantur. Quod cum eis nunciaretur, & populus gaudio exultabat, & oratores ad Philippum ulciſcendum hortabantur. Demoſthenes autem veritus, ne fiducia pleni, ut qui vicisſent omnia, & auxilia ſatis magna miſiſſent Olynthiis, reliqua negligerent: ea de cauſa progreſſus, eorum arrogantiam retundit, & ad modeſtam cautionem animos traducit: quod non de Philippi ultione nunc eis deliberandum ſit, ſed de ſalute ſociorum. Sciebat enim, & Athenienſes, & alios fortaſſe nonnullos, cum ſuas res retinendi curam ſuſcipiant, de ulciſcendis adverſariis minus laborare. In hac oratione illud etiam conſilium de theatrali pecunia attingit apertius, & leges poſtulat abrogari, quæ mulctam imponant iis, qui decernerent, ut ea fieret militaris, quo ſuadere optima liceat. Monet eos denique, (66) ut ad majorum æmulationem excitentur, & ipſi cives militent; graviterque objurgat & populum, eo tempore remolleſcentem atque effœminatum; & magiſtratus, ut qui non recte præſint reipublicæ.

NON idem ſtatuere poſſum, Athenienſes, cum in res intueor, & in orationes, quas audio. Nam orationes quidem de ulciſcendo Philippo haberi, res autem eo progredi video, ut, ne ipſi prius infortunium feramus, ſit providendum. Nihil igitur aliud niſi errare mihi videntur ii, qui iſta dicunt, cum argumentum tractent prorſus ab hac veſtra deliberatione alienum. Ego vero aliquando

licuiſſe civitati & ſua tenere tuto, & Philippum ulciſci, præclare memini. Mea enim ætate, non olim, contigerunt hæc utraque. Nunc autem ſic ſtatuo, ſatis eſſe nobis, ſi hoc primum anteverterimus, ut ſocios conſervemus. Quorum ſalus cum in tuto collocata fuerit, tum & qua ratione illum ulſciſci poſſitis, diſpicere licebit. Antequam autem principium recte conſtituatur, ſupervacaneum eſſe duco, de fine ullum facere verbum. Ac tempora quidem hæc, Athenienſes, ſi unquam, nunc in primis magnam ſolicitudinem, & prudentiam requirunt. Ego vero, non quid in hiſce rebus ſuadendum ſit, difficillimum eſſe duco: ſed illud dubito, quo ſit pacto, Athenienſes, apud vos de eis dicendum. Perſuaſum enim habeo, quantum coram audivi & intellexi, in pleriſque vos fruſtrari negotiis, (67) propter officii veſtri neglectum, non ex inſcitia. Quare peto a vobis, ut me, ſi paulo liberius verba fecero, feratis; & id ſpectetis, an vera dicam, eaque de cauſa, ut reliqua fiant meliora. Videtis enim ex eo, quod quidam ad gratiam conciones habent, res noſtras in omnem progreſſas eſſe calamitatem. Neceſſarium autem exiſtimo, pauca vobis ex iis quæ facta ſunt, in memoriam revocare. Meminiſtis, Athenienſes, nunciatum fuiſſe vobis, Philippum in Thracia, tertio aut quarto ab hinc anno, Heræum caſtrum obſidere. Tunc igitur menſis erat September. Multis autem verbis & tumultu facto apud vos, decreviſtis quadraginta triremes producendas: &, qui infra annum ætatis eſſent quintum & quadrageſimum, iis ipſis conſcendendum, & talenta ſexaginta eſſe conferenda. Poſt, eo anno elapſo, Junius, Quintilis, Sextilis: eo menſe vix poſt initia Cereris, Charidemum cum decem navibus vacuis ablegaſtis, & quinque talentis argenti. Ut enim nunciatum fuit, Philippum ægrotare, & eſſe mortuum (nam uterque rumor afferebatur) nihil jam opus eſſe auxilio rati, omiſiſtis, Athenienſes, expeditionem. Erat autem ea ipſa occaſio. Nam ſi tunc illo auxilia miſiſſe-

miſiſſemus, ut ſtrenue decreveramus; non moleſtus nobis nunc eſſet Philippus, tum conſervatus. Quæ igitur tum facta ſunt, ea infecta fieri non poſſunt. Nunc autem alterius belli offertur occaſio; quæ? hæc, propter quam & harum rerum mentionem feci, ne eadem vobis uſu veniant. Quo igitur ea pacto utemur, Athenienſes? Niſi enim omni robore, quantum poteſtis, opem tuleritis: ſpectate, ut a vobis omnia ex Philippi commodo, (68) quaſi ejus duces eſſetis, adminiſtrata erunt? Ii erant Olynthii, quorum aliquæ vires eſſent: & ita ſe res habebat, ut neque Philippus hos invadere auderet, neque hi Philippum; fecimus nos & illi pacem inter nos. Erat id tanquam impedimentum quoddam Philippo, & incommodum, urbem magnam velut in ſtatione eſſe, ad eum prima quaque occaſione infeſtandum, nobis reconciliatam; concitandos in eum homines omnibus modis exiſtimavimus: & quod omnes tum dictitabant, id nunc perfectum eſt quomodocunque. Quid ergo ſuperſit, Athenienſes, niſi ut opitulemini fortiter & ſtrenue, equidem non video. Præter enim eam, quam ex ceſſatione & negligentia caperemus, ignominiam: non parum etiam ea quæ ſecutura ſunt, metuenda eſſe video: dum quidem & Thebani ita erga nos animati ſunt, ut ſunt, & Phocenſes pecunia deficiuntur: & Philippum, ubi ea quæ nunc agit, expedierit, nihil futurum ſit, quod impediat, quo minus ad hæc ſe negotia convertat. Verum ſi quis veſtrum eouſque ceſſare in officio inſtituit, is prope videre vult calamitates, cum liceret eas quæ alibi acciderent, procul audire: vult quærere ſibi auditores, cum nunc ipſi liceret alios adjuvare. Nam eo tandem rem eſſe redituram, ſi hæc neglexerimus, fere omnes ſatis ſcimus. At auxilium eſſe ferendum, dixerit aliquis, omnes ſtatuimus, & feremus: quomodo audem, id dicito? Ne vero miremini, Athenienſes, ſi quid præter vulgi opinionem dixero. Legumlatores conſtituite: per eos autem legumlato-

res nullam ſancite legem (ſunt enim vobis ſatis multæ) ſed eas quæ vos in præſentia lædunt, abrogate; iſtas autem dico (69), & non diſſimulanter dico, quæ ſunt de theatrali pecunia, & de bellica re quaſdam; quarum illæ militarem, iis qui domi manent, ad ſpectacula diſtribuunt; hæ, deſertores & emanſores indemnes conſtituunt: ſic etiam iis qui officio fungi volunt, deſperationem injiciunt. Poſtquam vero hæc ſuſtuleritis, & viam optima conſulendi tutam præbueritis: tum qui ea ſcribat, quæ omnes e republica eſſe ſcitis, quæritote. Priuſquam autem hæc acta ſint, circumſpicite, quiſnam, dum vobis optime conſulat, a vobis interire velit: neminem enim reperietis, præſertim, cum id unum ex eo futurum ſit, ut & qui ea dixerit ac ſcripſerit, per injuriam mulctetur, nec rebus quicquam conſulatur; ſed optima ſuadendi ſtudium magis etiam in poſterum quam nunc eſt, reddatur periculoſum. Ac poſtulandum eſt, ut eas leges abrogent iſti ipſi, qui tulerunt. Non enim æquum eſt, gratia, quæ totam civitatem læſit, illos frui, qui tum tulerunt: odium autem, per quod cum omnibus nobis melius ageretur, ei qui nunc optima ſuaſerit, eſſe fraudi. Priuſquam autem hæc rite comparata fuerint, nequaquam, Athenienſes, apud vos quenquam velitis eſſe tantum, ut hiſce legibus a ſe violatis, pœnas non det: aut adeo væcordem, ut in evidens malum ſemetipſe conjiciat. Quin nec illud vobis ignorandum eſt, Athenienſes, decreta nullius eſſe momenti, niſi & hoc acceſſerit, ut ea quæ decernantur, nos alacriter facere ſtudeamus. Nam ſi eam vim decreta haberent, ut aut vos ad officium faciendum compellere, aut ea quæ continent, perficere poſſent; neque vos multa decernando, pauca vel nihil potius eorum ageretis (70): neque Philippus tam diu ſe inſolenter geſſiſſet. Neque enim per decreta quidem ſtetiſſet, quo minus olim pœnas dediſſet. Sed hæc non ita ſe habent. Actiones enim ut orationibus & ſuffragiis ordine poſteriores ſunt, ita vi priores & potio-

res. Hoc igitur adjungendum est: reliqua præsto sunt. Nam qui prudenter dicere possint, sunt apud vos, Athenienses: & omnium acutissime vos orationes intelligitis, atque adeo exequi nunc poteritis, si recte facietis. Quod enim tempus, quamve occasionem, Athenienses, meliorem hac queritis? aut quando ea quæ fieri debent, agetis, si nunc non agetis? Nonne omnia vobis homo loca præripuit? Quod si & hac terra potietur, rem flagitiosissimam admittemus. Nonne quibus si bellum gererent, strenue nos opitulaturos pollicebamur, hi nunc bello petuntur? Nonne hostis est? non vestra tenet? non barbarus? quid non denique? Sed, Deum immortalem, si hæc omnia reliquerimus, & ei tantum non ad ea obtinenda operam navaverimus: tum autores harum rerum qui sint, quæremus? Neque enim nos in causa esse fatebimur: satis hoc ego scio. Nam & in belli periculis fugientium nemo seipsum accusat, sed tum ducem, tum commilitones, & quosvis potius: ut vincerentur tamen, per omnes eos profecto factum est qui fugerunt. Manere enim licuisset ei, qui alios accusat; Quod si facerent singuli, vicissent. Ita nunc, non suadet aliquis optima? surgat alius, & sententiam dicat, non illum criminetur. Alius quispiam meliora dicit? ea facite, diis approbantibus. At ea jucunda non sunt? non hæc jam dicentis est injuria: nisi, cum vota essent facienda, non fecit. Nam paulo momento temporis, (71) omnia, in unum tamquam fascem colligata, quæ velis, optare facile est: amplecti autem, cum de negotiis consultatio instituitur, non æque promptum est; sed utilissima jucundissimis, si utraque obtineri nequeunt, sunt præferenda. At si quis theatralem pecuniam nobis relinquere possit, & alios sumptus ostendere militares, nonne is potior? dixerit aliquis. Assentior equidem, si modo ostenderit, Athenienses. Sed miror, si cui mortalium unquam aut evenit, aut eveniet, cum ea quæ habet, in res supervacaneas insumpserit, ut iis,

quæ

quæ non habet, ad res neceſſarias abundet. Sed magnum iſtis rationibus, ex uniuſcujuſque voluntate nimirum, præſidium eſt. Quare omnium eſt facillimum, ſeipſum decipere. Quod enim quiſque vult, id etiam ſibi fingit. Sæpe autem natura rerum alia eſt. Iſta igitur ita, conſiderate, ut res patiuntur: tum & militare poteritis, & ſtipendium habebitis. Non ſane prudentium, neque generoſorum hominum eſt, aliquid in bello negligere ob nummorum penuriam, & leviter talia probra ferre; aut contra Corinthios & Megarenſes, arreptis armis, proficiſci: Philippum autem Græcas urbes pati excindere, propter inopiam commeatus, quo exercitus ſuſtentetur. Atque hæc non fruſtra dicere inſtitui, ut quorundam e vobis odio ſuſciperem (neque enim ita demens aut infelix ego ſum, ut cum nulla ſpe publici fructus, privatum mihi odium quæram) ſed boni civis officium eſſe puto, ut charitatem reipublicæ ſuavitati orationis anteponat. Nam apud majores noſtros, oratores audio quemadmodum & vos fortaſſe (quos ut omnes qui conciones habent, laudare, ita parum imitari ſolent) hac ratione & hoc inſtituto in republica gerenda uti ſolitos; (72) Ariſtidem illum, Niciam, eum qui idem mecum nomen habuit, Periclem. Ex quo autem ſuſcitantes e vobis iſti oratores extiterunt, Quid cupitis? quid ſcribam? qua vobis re gratificabor? brevi voluptate & gratia, reipublicæ negotia, quaſi propinata pereunt, & talia eveniunt: iſtorum res omnes præclare ſe habent, veſtræ turpiter. Atqui conſiderate, Athenienſes, quæ capita rerum, & ſuperiorum & horum temporum, commemorari poſſint: brevis autem erit, & nota vobis oratio. Non enim alienis vos utentes exemplis, ſed domeſticis, Athenienſes, felices fieri licet. Illi igitur, quibus non adulabantur oratores, quos non ita amabant, ut vos iſti nunc, quinque & ſexaginta annos Græcis volentibus imperarunt: amplius decies mille talenta in arcem congeſſerunt; & regem iſtius provinciæ, dicto audientem

dientem habuerunt, ſicut æquum eſt parere Græcis Barbarum; & multa præclaraque trophæa terra marique parta erexerunt, cum ipſi militarent; & ſoli mortalium eam rerum geſtarum gloriam, ad quam nullus invidiæ pateret aditus, reliquerunt. Ac in tuenda Græcia fuere tales. In ipſa vero urbe ſpectate quales & publicis & privatis in rebus ſe præbuerint. Publice igitur ædificia & ornamenta talia & tanta inſtruxere nobis fanorum, & qui his continentur donariorum, ut nihil addi poſſit a poſteris ad illorum excellentiam: Privatim autem adeo modeſti fuerunt, & tanta cura inſtitutum reipublicæ obſervarunt, ut ſi quis forte veſtrum Ariſtidis & Miltiadis, & illius ætatis illuſtrium hominum ædes novit (73) cujuſmodi ſint, vicini ædibus nihilo eſſe ſplendidiores videat. Neque enim rei familiaris amplificandæ gratia rempublicam gerebant, ſed quiſque ſibi rem communem augendam eſſe putabat. Cum autem res Græcorum fideliter, religionem Deorum immortalium pie, commercia inter ipſos æquabiliter adminiſtrarent, non injuria magnam ſibi felicitatem pepererunt. Tunc igitur ad hunc modum, dum illi quos dixi, ſummæ reipublicæ præerant, ſe res habuerunt. Nunc, dum lenes iſti præſunt, quis rerum veſtrarum ſtatus eſt? Idemne & ſimilis? Ac cætera quidem taceo, cum haberem multa dicere. Sed quonquam in tantam incidimus ſolitudinem, quantam videtis omnes, cum & Lacedæmonii perierint, & Thebani occupati ſint, & cæterorum nemo tantas vires habeat, ut nobiſcum de principatu contendere auſit; cumque nobis liceret & privata noſtra ſine periculo tenere, & reliquorum controverſias diſceptare: tamen privati ſumus noſtra provincia, & amplius mille & quingenta talenta nullo cum fructu inſumpſimus; & quos in bello ſocios paravimus, hi pacis tempore perierunt, & hoſtem contra noſmetipſos tantum inſtruximus. Alioqui progrediatur aliquis, & mihi dicat, unde, niſi per noſmetipſos, ita

ſint

ſint auctæ opes Philippi? Sed heus tu, ſi vitioſa hæc ſunt, at urbanarem rerum ſtatum eſt melior? Ecquid autem dici queat? Num propugnacula, quæ tectorio inducimus? & viæ, quas reficimus? & fontes? & nugæ? Eos quæſo intuemini, quorum hæc acta ſunt in republica: quorum alii e mendicis facti ſunt divites, alii ex obſcuris clari, nonnulli privatas ædes publicis ſtructionibus ſplendidiores comparaverunt: & quanto reſpublica (74) plus detrimenti cepit, tanto res iſtorum factæ ſunt ampliores. Quæ igitur cauſa eſt horum omnium? & cur tandem ſe omnia tum præclare habuerunt, & nunc haud recte? Primum, quod & populus, cum ipſe militare auderet, dominus erat magiſtratuum, & bona omnia in ſua poteſtate habebat: & bene ſecum agi putabant cæteri omnes, ſi a populo & magiſtratum, & honorem, & beneficium aliquod conſecuti eſſent. Nunc contra, bona omnia in poteſtate ſunt magiſtratuum, & per hos geruntur omnia: vos populus enervati, & ſpoliati pecunia, ſociis, famuli & additamenti vicem obtinetis: contenti theatrali pecunia, quam iſti vobis impertiunt; aut bucculis, ſi quas forte miſerint. Et quod eſt omnium ignaviſſimum, cum ea vobis dantur, veſtra quæ ſunt: gratiam etiam habetis quaſi beneficia in vos conferantur. Qui vero vos in hanc urbem tanquam carcerem incluſere ad talia vos alliciunt, & cicurant, ut vos ad nutum paratos habeant. Neque vero, mea quidem ſententia, fieri unquam poteſt, ut magnos & generoſos animos ſumant ii, qui parvis & vilibus rebus occupantur. Nam qualiacunque hominum ſtudia fuerint, talibus eos & animis eſſe præditos neceſſe eſt. Hæc medius fidius haud mirabor, ſi mihi, qui dixerim, plus apud vos nocuerint, quam iis qui ea fecerunt; neque enim ſemper apud vos omnibus de rebus libere loqui licet, idque ego vel nunc licuiſſe miror. Quod ſi nunc ſaltem moribus iſtis relictis, militare voletis, & agere pro veſtrapte dignitate, atque iſtis domeſticis opibus

velut

velut instrumentis utemini ad externa bona comparanda: fortassis, Athenienses, fortassis perfectum aliquod & magnum bonum consequemini, (75) talibus lucellis repudiatis, quæ cum cibis, quos dant ægrotis medici, conferri possunt. Etenim ut illi neque vires augent, neque emori patiuntur; sic & ista quæ vos nunc percipitis, neque tanta sunt ut justam utilitatem aliquam afferant: neque vos iis despectis, ad alia converti patiuntur, sed alimenta sunt vestrum omnium socordiæ. Erga tu stipendium facere jubes? inquiet aliquis. Sane: & e vestigio eundem esse ordinem omnium, Athenienses, ut partem quisque reipublicæ capessat, quæque res civitati opus fuerit, in ea suam operam strenue navet. Licet agere otium? Cum domi manes, melior est tua conditio, quod ad nullum turpe facinus inopia te compellit. Incidit hujusmodi quippiam, quale nunc? De istis ipsis emolumentis pro patria, ut æquum est, militabis. Est vestrum aliquis natu grandior: Is quæ nunc sine ordine capit, ad nihil utilis, ea in æquabili ordine accipiat, omnia inspiciens & administrans quæ sunt agenda. Ad summam, neque detraxi quicquam, neque addidi præter pauca; confusione sublata, rempublicam in ordinem redegi: eodem accipiendi, militandi, judicandi, & id agendi, quod pro ætate quisque potest, quodque tempus postulat, ordine instituto. Nusquam ego dixi, nihil agentibus ea esse distribuenda, quæ functuris officio debentur: neque ipsos desidere jussi, & otium agere & egere; illius autem peregrinos vincere milites, id audire. Hæc enim nunc fiunt. Neque reprehendo eos qui reipublicæ inserviunt. Sed & vosipsi (76) ea debetis agere, propter quæ alios honoratis: neque cedere statione virtutis, Athenienses, quam vobis majores magnis periculis partam reliquerunt: Fere dixi, quæ conducere putem. Vos autem ea amplectamini, quæ & reipublicæ & vobis universis profutura sunt.

DEMOS.

DEMOSTHENIS PHILIPPICA I.

LIBANII ARGUMENTUM In Philipp. Orat. I.

Athenienſes, cum bellum infeliciter contra Philippum gererent, in concionem convenerunt deſperabundi: Orator igitur & erigere objectos animos conatur (neque enim eſſe mirum, ſi in tanta ſocordia victi ſint) & quâ ratione bellum rectiſſime adminiſtrent, docet. Jubet autem geminas copias comparari: alteras majores urbanas, quæ domi maneant, in omnem eventum paratæ; alteras minores, quæ militibus peregrinis conſtent, permiſtæ civibus, & eum exercitum non Athenis manere, neque ex urbe opem conferre jubet; ſed circa Macedoniam verſari, belligerantem continenter: ne ſtatu Eteſiarum Philippus obſervato, aut etiam hyeme, cum Athenis in Macedoniam navigari non poſſit, rem aggrediatur, & per abſentiam Athenienſium omnia obtineat: ſed exercitum, qui cum eo dimicet, vicinum potius ei eſſe oportere cenſet.

SI de (78) novo aliquo negotio concio indicta eſſet, Athenienſes, exſpectaſſem, dum plurimi eorum, qui ſolent, ſententias dixiſſent: ac ſi quid ab eis dictum mihi placuiſſet, quieviſſem; ſin minus, tum & ipſe meum conſilium explicare ſtuduiſſem. Poſteaquam autem ſic accidit, ut quibus de rebus iſti ſæpe prius dixerunt, de his nunc etiam ſit deliberandum: arbitror me, tametſi primus ſurrexerim, jure tamen veniam impetraturum. Nam ſi ſuperiore tempore opportune ipſi conſuluiſſent, nihil vos nunc neceſſe eſſet deliberare. Primum igitur, non

non desperandum est, Athenienses, de hoc statu rerum, etsi is omnino malus esse videatur. Nam quod in eo superioribus temporibus fuit pessimum, id ipsum est ad ea quæ restant optimum. Quid illud igitur est? Quod propter socordiam vestram, & neglectum officii, res adversæ sunt. Nam si vobis omnia quæ decet agentibus, res ita se haberent, ne spes quidem ulla relinqueretur, eas fore meliores. Deinde cogitandum id, quod partim ex aliis auditis, partim ipsi nostis, atque in memoriam revocandum, quanta aliquando potentia Lacedæmoniis præditis, idque non ita olim, quam præclare & convenienter, nihil alienum dignitate urbis admiseritis, sed pro defensione juris, bellum illorum sustinueritis. Qua igitur gratia hæc dico? ut sciatis, Athenienses, & videatis, nec quicquam præcaventibus vobis esse formidabile; neque, si neglexeritis, ex animi vestri sententia quicquam successurum: utque exemplis utamini, potentiæ quæ tum fuit Lacedæmoniorum, (79) quam vigilantia vestra superastis; & nunc insolentiæ Philippi, propter quam æstuamus, eo quod nihil eorum, quæ curanda erant, curavimus. Si quis autem, vestrum, Athenienses, & multitudinem copiarum quas Philippus habet, considerans, & omnia loca amissa a nostra republica intuens, difficilem oppugnatu eum esse opinatur: is, etsi recte sentit, illud tamen reputet, habuisse nos aliquando, Athenienses, Pydnam, & Potidæam, & Methonem, & undique omnem illum tractum conjunctum; & multas, quæ nunc cum eo sunt, gentes, sui fuisse juris & liberas, & vestram amicitiam illius conjunctioni prætulisse. Philippus igitur, si tum eum habuisset animum, esse difficile belligerare cum Athenensibus, qui tales arces ad ditionem ipsius oppugnandam haberent, qui sociis destitueretur, nihil eorum quæ nunc fecit, egisset; neque tantam potentiam comparasset. Sed illud, Athenienses, is præclare notat, loca illa omnia belli esse præmia, in medio posita: & naturam ita ferre, ut opibus absentium præsentes, & qui laborare

periclitarique volunt, negligentium potiantur. Proinde cum ita ſentiret, omnia ſubegit & tenet: alia, ut bello capta, teneri ſolent; alia, inita ſocietate & amicitia. Nam adjungere ſe & adhærere illis volunt omnes, quos inſtructos eſſe vident, & ea quæ opus ſunt agere velle. Quare ſi & vos, Athenienſes, eodem velitis eſſe animo nunc, quando prius id factum non eſt, & quiſque veſtrum id quod & opus ſit, & præſtare ipſe poſſit, in uſum reipublicæ, (80) omni omiſſa tergiverſatione, facere ſit paratus: locupletes tributo conferendo, juvenes militando; & ut ſimpliciter breviterque dicam; ſi veſtri compotes ipſi fieri volueritis, & deſieritis ipſi nihil agere, dum ſperatis alium pro vobis facturum eſſe omnia, ſic & veſtras opes recuperabitis, annuente Deo, amiſſaque per ſocordiam denuo recipietis, & illum ulſciſcemini. Neque enim putetis, tanquam Deo, res iſtas illi fixas eſſe, & immortales. Nam & odit eum aliquis, & metuit, Athenienſes, & invidet, eorum etiam qui nunc ei videntur eſſe conjunctiſſimi: & univerſa quæ fere in aliis hominibus inſunt, ea in ejus quoque familiaribus exiſtimandum eſt ineſſe. Nunc tamen hæc omnia ſupprimuntur, cum nullum confugium habeant, propter veſtram tarditatem & ſocordiam: quam deponendam eſſe dico jam. Videtis enim, Athenienſes, rem, quo improbitatis homo evaſerit, qui nec optionem vobis dat res gerendi, aut quieſcendi; ſed minitatur, & verba ſuperba, ut aiunt, uſurpat: & iis habendis quæ ſubegit, contentus eſſe non poteſt, quin ſemper plura molitur, & circum undique vos cunctantes & deſidentes irretit. Quando igitur, Athenienſes, agenda quæ ſunt, agetis? Ubi aliquid acciderit? Ubi credo neceſſitas aliqua fuerit? Quid vero de iis quæ nunc fiunt, eſt exiſtimandum? Nam ego quidem arbitror liberis hominibus maximam eſſe neceſſitatem, ſuſceptum in rebus gerendis dedecus. Nam vultis, circumeuntes alius percontari alium in foro, Age, dic mihi, nunquid affertur novi? Poteſtne quid magis novum

fieri, quam quod homo Macedo ſubigit Athenienſes, & Græciam adminiſtrat? (81) Obiit Philippus? non certe quidem, ſed ægrotat. Quid vero veſtra intereſt? Etſi enim aliquid ei acciderit, celeriter vos alium Philippum facietis, ſi rebus ita eritis intenti. Neque enim tam ſuis viribus auctus eſt, quam veſtra negligentia. Quanquam illud etiam, ſiquid ei accideret, & fortunæ favor nobis adeſſet, quæ ſemper nos melius quam noſmetipſi curamus (etenim fortaſſe abſolvet rem, ſuumque beneficium conſummatum reddet) ſcitote vos, ſi prope eſſetis, & rebus omnibus turbatis ingrueretis, eas vos veſtro arbitratu poſſe adminiſtrare: ut vero nunc eſtis, nec ſi vobis tempora darent Amphipolim, accipere poſſetis, veſtris & apparatibus & animis fluctuantes. Itaque illud prætermitto, oportere vos ultro ad faciendum officium, omnes eſſe paratos: tanquam vos ita ſentiatis, idque perſuaſum habeatis. De ratione autem inſtructionis, qua vos talibus liberari poſſe negotiis putem, & multitudo quanta eſſe debeat, & quæ pecuniæ ſubſidia, cæteraque ut mihi rectiſſime & celerrime comparanda videantur, equidem operam dabo ut dicam: tantum precatus a vobis, poſtquam audieritis omnia, ut judicetis, neque antevertatis: neque tametſi primum videbor novam inſtructionem dicere, res a me differri quiſquam exiſtimet. Neque enim qui feſtinare & hodie rem geri jubent, opportuniſſime dicunt (cum, quo quidem in loco res nunc ſunt, auxiliis, quæ nunc mittimus, pericula propulſare non poſſimus) ſed qui oſtenderit, quæ & quanta inſtructio eſſe, & unde comparari atque retineri poſſit: donec aut pacem æquis conditionibus fecerimus, aut hoſtes devicerimus. (82) Sic enim deinceps nullis malis conflictabimur. Me igitur hæc poſſe dicere arbitror: nec impedio, ſi quis alius pollicetur aliquid. Ac promiſſum quidem adeo magnum; ipſa res autem ſe jam oſtendet, vos judices eritis. Primum omnium, Athenienſes, triremes quinquaginta comparandas eſſe dico: deinde vos iis animis eſſe

oportere, ut ſi quid ſit opus, ipſi conſcenſis eis navigetis. Poſt, dimidiæ parti equitum, equeſtres triremes et copiam navigiorum inſtrui jubeo. Atque hæc in promptu eſſe cenſeo oportere, ad ſubitas iſtas ejus e regno ſuo eruptiones, in Pylas, & Cherſoneſum, & Olynthum, & quo libet. Hæc enim in ejus animo excitanda eſt opinio: vos ex immenſa iſta negligentia, ut in Eubœam, & prius aliquando ad Haliartum, & poſtremo nuper in Pylas, fortaſſe cum impetu erupturos. Non omnino, tametſi non feceritis, ut ego faciendum eſſe dico, fuerit hoc contemnendum: ut aut metu, ſi ſcierit paratos eſſe vos (certo enim ſciet: ſunt enim, ſunt apud vos ipſos, qui de omnibus rebus eum certiorem faciant, plures quam expedit) otium agat; aut his deſpectis, incautus opprimatur: obſtante nemine, quo minus in ejus regnum, ſi per occaſionem licuerit, navigetis. Hæc igitur ſunt, quæ probata eſſe vobis oportere dicam, & ut inſtructi ſitis, convenire arbitror. Præter hæc, copias aliquas, Athenienſes, in procinctu habendas cenſeo, quæ continenter belligerent, & illum infeſtent. Nemo mihi dicat decies mille, neque vicies mille peregrinos; neque conductitios illos exercitus; eas volo copias, quæ civibus conſtent (83): quæ, ſive vos unum, ſive plures, ſive illum, ſive quemcunque ducem creaveritis, ei pareant, & ſequantur; et his commeatum curari jubeo. Quæ autem erunt hæ copiæ, et quantæ, et unde commeatum habituræ, et quomodo hæc facere voletis? Ego dicam, et horum ſingula ſeorſim explicabo. Peregrinos dico (neque id feceritis, quod ſæpe vobis nocuit, dum minora putatis omnia quam oporteat, et maxima in decretis ſuſcipientes, cum ad rem ventum eſt, ne parva quidem facitis: ſed ubi parva feceritis et comparaveritis, illis adjicite, ſi minora videbuntur) dico igitur univerſos milites eſſe oportere, bis mille. Ex his, Athenienſes, oportere eſſe dico quingentos, e quacunque illi diligendi vobis ætate videbuntur, qui certum

tempus

tempus militent; non longum illud, ſed quantum commodum eſſe videbitur, ut ſubinde aliis alii ſuccedant, reliquos peregrinos eſſe jubeo: et cum his equites ducentos, quorum quinquaginta ſint Athenienſes minimum, eodem quo pedites modo militaturi, et equeſtres naves quibus hi utantur. Eſto: quid ad hæc amplius? Celeres triremes decem: opus enim nobis eſt, cum ille claſſem habeat, etiam velocibus triremibus, ut tuto copiæ navigent. Unde igitur hæ alentur? Ego et hoc dicam, et oſtendam, poſtquam, cur tantulas copias ſatis eſſe putem, et cives militare jubeam, docuero: tantulas, Athenienſes, propterea quod nobis nunc exercitum parare non licet, qui collatis ſignis cum eo dimicet; ſed latrocinari eſt neceſſe, et hac gerendi belli ratione utendum primum. Quare nec immenſas eas (84) (nec enim ſtipendia et commeatus ſuppetunt) nec prorſus exiguas eſſe oportet. Cives autem adeſſe, et navigare una propterea jubeo, quod prius etiam aliquando audio peregrinum aluiſſe Corinthi militem noſtram urbem, cui Polyſtratus præfuerit, et Iphicrates, et Chabrias, & alii quidam, et voſmetipſos una militaſſe: et ut auditione cognovi, peregrini illi vobiſcum conjuncti, et vos cum illis, Lacedæmonios viciſtis. Poſtquam autem ipſi peregrini per ſeſe bella vobis obeunt, amicos vincunt et fœderatos; hoſtes autem facti ſunt majores quam expediret; et cum vix noſtræ civitatis bellum attigerunt, ad Artabazum et quovis gentium potius abeunt; imperator eos ſequitur: non injuria: neque enim is imperare poteſt, qui ſtipendia non ſolvit. Quid igitur jubeo? cauſas adimi et duci et militibus, mercede numeranda: et domeſtico milite velut eorum inſpectore, quæ a duce geruntur, adjungendo. Nam ut nunc fit, ridicula eſt noſtra rerum adminiſtratio. Si quis enim vos roget, Pacemne agitis, Athenienſes? Minime vero nos quidem, dicturi ſitis; ſed cum Philippo bellum gerimus. Nonne ve-

ro creaſtis e veſtris civibus decem centuriones, et duces, et tribunos, et magiſtros equitum duos? Quid autem iſti plus agunt uno viro, quem miſeritis ad bellum? reliqui pompam vobis obeunt cum ſacrificiis. Ut enim ii qui luteos fingunt, in forum creatis centuriones et tribunos non ad bellum. An non oportuit, Athenienſes, centuriones cives, magiſtros equitum cives, magiſtratus domeſticos eſſe, ut revera eſſent copiæ civitatis? (85) At in Lemnum veſtro magiſtro equitum navigandum eſt: eorum autem qui pro noſtræ urbis poſſeſſionibus præliantur, Menelaus eſt magiſter equitum. Neque hæc hominis reprehendendi cauſa dico: ſed a vobis eum creatum eſſe oportebat, quiſquis tandem ſit. Fortaſſis autem hæc recte dici putatis: pecunia vero quanta et unde comparanda ſit, maxime audire cupitis. Id igitur ſane expediam. Ea eſt pecuniæ ratio, ut ad alendum hunc exercitum, et cibaria duntaxat militibus comparanda, nonaginta ſint talenta numeranda, et paulo amplius: decem celeribus navibus quadraginta talenta, vicenæ minæ in navem ſingulis menſibus: militum duobus millibus totidem alia, ut tribus ſinguli milites drachmas in menſem pro cibariis accipiant: equitibus ducentes numero, ſi tricenas drachmas in menſem accipiant ſinguli, duodecim talenta. Si quis vero putat, commeatum parvo eſſe ſubſidio iis qui militant: non recte ſentit. Ego enim compertum habeo, ſi hoc factum fuerit, ipſum exercitum e bello ſibi reliqua comparaturum, ſine ulla vel Græcorum, vel ſociorum injuria, ut integrum ſtipendium habeat. Atque ego ultro navigabo una, quidvis pati paratus, niſi hæc ita erunt. Unde igitur pecunia, quam requiro a vobis, comparabitur? Hoc jam dicam.

PECUNIARIA RATIO.

QUÆ nos, Athenienſes, invenire potuimus, hæc ſunt. Poſtquam autem ſententias rogaveritis, ea quæ vobis probata fuerint, decernite: (86) ut non tantum

tum decretis et literis belligeritis cum Philippo, ſed etiam factis. Multo autem melius, ut mihi videtur, de bello et tota inſtructione deliberabitis, ſi locum, Athenienſes, regionis cui belium inferetis, cogitabitis, et conſiderabitis, ventis et anni temporibus anticipatis, pleraque perficere Philippum: et exſpectatis Eteſiis, aut hyeme, bellum aggredi, cum nos illuc pervenire non poſſumus. His itaque conſideratis, non mittendo tumultuario milite vobis bellandum eſt (negligemus enim omnes occaſiones) ſed inſtructione perpetua atque exercitu. Licebit autem vobis Lemni et Thaſi, et Sciathi, et in aliis illius loci inſulis hybernare cum exercitu: in quibus et portus, et frumentum, et omnia quæ requirit exercitus, parata ſunt. Anni autem tempus, cum et appellere ad terram facile, et a ventis juxta ipſam regionem, et mercatuum aditus, verſantibus nihil periculi eſt, haud difficulter intelligetis. Quemadmodum igitur et quando utendum ſit exercitu, ipſum tempus docebit eum, in quem vos imperii autoritatem contuleritis. Quæ autem a vobis præſtari debeant, hæc ſunt quæ ego ſcripſi. Quod ſi hanc, Athenienſes, pecuniam comparaveritis primum, quam dico; deinde cætera etiam omnia perfecte inſtruxeritis, milites, triremes, equites; omneſque copias lege obſtrinxeritis, ut bello continenter incumbant, ipſique vos pecuniæ quæſtores et præbitores, ab imperatore rerum geſtarum rationes requiretis: iiſdem de rebus ſine ullo ſucceſſu deliberare perpetuo definetis. (87) Accedit illud etiam, Athenienſes, maxima illi emolumenta intercipietis. Ea quæ ſunt? a noſtris ſociis extorta pecunia nos oppugnat, navibus hoſtiliter diripiendis. Quid præterea? Vos illud eritis conſecuti, ut vobis noceri non poſſit: non ea fient, quæ ſuperiori tempore, cum in Lemnum et Imbrum facta impreſſione, veſtros cives captivos abduxit: et ad Geræſtum comprehenſis navibus, immenſam pecuniam coegit; poſtremo in Marathonem exſcendit,

exſcendit, et ſacra triremi e noſtra ditione abrepta, abiit: vos autem neque hæc prohibere potuiſtis, neque conſtitutis a vobis temporibus opitulari. Verum cur tandem putatis, Athenienſes, Panathenæorum ferias, et Bacchanalium ſemper convenienti tempore fieri, ſive peritis harum utrarumque curatio ſorte obvenerit, ſive imperitis? in quas tantos ſumptus facitis, quantos nec in unam claſſem: et tantam turbam adhibetis, et tantum apparatum, quantum haud ſcio an ullus omnium habeat: claſſes autem omnes veſtras, occaſionibus demum amiſſis venire, illa Methonem, illa Pegaſas, illa Potidæam miſſa? quod illa omnia lege ſancita et ordinata ſunt, et quiſque veſtrum multo ante novit, quis ædilis aut gymnaſiarchus ſuæ tribus, quando et a quo et quid accipiendum, quidque faciendum ſit. Nihil non exquiſitum, nihil non definitum, nihil denique neglectum eſt. In rebus autem bellicis, et belli apparatione, inordinata, indefinita, incompoſita omnia. Quapropter ſimulatque audivimus aliquid, et triremium præfectos conſtituimus, et inter eos permutationes opum inſtituimus, et de parandæ pecuniæ ratione deliberamus; poſtea decernitur, ut inquilini conſcendant, (88) et libertini, qui ſuam ipſi rem familiarem adminiſtrant. Deinde ut cives illis iterum ſuccedant. Sic interim dum hæc prorogatis, interierunt ea quo claſſem mittimus, ante adventum noſtrum. Nam rei gerendæ tempus in apparando conſumimus: rerum autem occaſiones non exſpectant noſtrum tarditatem et ſocordiam. Quas vero interjecto tempore copias nos habere putamus, eæ, cum ad ipſam rem ventum eſt, nihil poſſe gerere deprehenduntur. Ille autem eo venit inſolentiæ, ut ſcribat Eubœenſibus tales jam literas.

LITERÆ.

HÆC igitur, Athenienſes, quæ lecta ſunt, vera pleraque ſunt, aliter quam oportebat: non autem

tem fortaſſe jucunda ſunt auditu. Verum, ſi res, offenſionis vitandæ cauſa, ut taceri a dicente, ſic etiam revera poſſent amoveri, ad voluptatem auditorum conciones inſtituendæ eſſent. Sin orationis jucunditas, alieno tempore uſurpata, reipſa detrimentoſa ſit; turpe eſt ſemetipſum decipere, et ea omnia quæ moleſta ſunt, differendo, negligere omnes rei gerendæ occaſiones, ac ne illud quidem poſſe intelligere, eorum eſſe officium qui bellum adminiſtrant, non ſequi res, ſed rebus antecedere: et quemadmodum receptum eſt, ut exercitum ducat imperator: ſic et a cordatis viris res ducendas eſſe, ut quæ ipſis videntur, ea gerantur, non ut eventum perſequi cogantur. Vos autem, Athenienſes, cum copias habeatis omnium maximas, (89) triremes, legiones, equites, pecuniæ reditus, ne harum quidem rerum in hunc uſque diem ulla unquam opportune eſtis uſi, et neminem non ſequimini: et ut barbari pugiles dimicare ſolent, ita vos bellum geritis cum Philippo. Ex iis enim, is qui ictus eſt, ictui ſemper inhæret: quod ſi eum alibi verberes, illo manus transfert: ictum autem depellere, aut contra intueri neque ſcit, neque vult. Ita et vos: Si eſſe in Cherſoneſo Philippum auditis, illuc mittenda eſſe auxilia decernitis; ſi in Pylis, illuc itis: ſi alibi uſpiam, affectamini ſurſum et deorſum: et eum ut ducem milites, ſequimini, neque ullum vobis utile de belli gerendi ratione conſilium initis; neque quicquam proſpicitis, antequam aut factum eſſe aliquid, aut fieri audiatis. Iſta vero factitare olim fortaſſe licuit: nunc in ipſum diſcrimen rerum ventum eſt, Quare non jam idem licet. Ac mihi cogitanti videtur, Athenienſes, deorum aliquis, quem noſtræ urbis vindicem, eorum quæ fiunt, pudet, illum rerum gerendarum ardorem injeciſſe Philippo. Qui ſi quæ ſubegit et intercepit, ea tenere et quieſcere vellet, neque quicquam præterea moliretur: veſtrum quidam ea non ægre laturi mihi viderentur, quæ

reipub.

reipub. dedecus et ignaviæ crimen et ſumma omnia probra attuliſſent. Nunc, dum ſemper aggreditur aliquid, et plus appetit, fortaſſe vos evocabit, niſi de vobis omnino deſperaſtis. Ego vero miror, ſi nemo veſtrum neque cogitat, neque indignatur, quando videt, Athenienſes, bellum cœpiſſe initium de ulciſcendo Philippo: finem autem in eo jam verſari, ne ipſi cladibus afficiamur a Philippo. Verum eum non quieturum, perſpicuum eſt, niſi ab aliquo coerceatur. (90) Id igitur nos exſpectabimus: et triremes vacuas, et ſpem a neſcio quo factam ſi miſeritis, omnia præclare ſe habere putabitis? Non egrediemur? non exibimus ipſi parte ſaltem aliqua domeſticorum militum nunc, ſiquidem id prius factum non eſt? non ditionem ejus claſſe invademus? At quo appellemus, roget aliquis? Inveniet & deprehendet labefactatas res illius, Athenienſes, ipſum bellum, modo aggrediamur. Verum ſi domi ſedebimus, conviciantes audituri & criminantes inter ſe oratores; non fieri ulla ratione unquam poteſt, ut quicquam rite conficiamus. Nam, ut mea quidem fert opinio, quocunque pars aliqua civitatis ablegabitur, tametſi tota non adſit, ibi & deorum & fortunæ benevolentia nobis opitulabitur. Cum autem imperatorem, & decretum inane, et ſpes concionales mittitis, nihil a vobis feliciter geritur: ſed ut hoſtes derident iſtiuſmodi expeditiones, ita ſocii metu emoriuntur. Non enim poteſt, non poteſt fieri, ut unus vir unquam vobis ea conficiat omnia, quæ vultis: polliceri quidem et affirmare, et accuſare hunc et illum licet; ſed his rebus omnia perierunt. Si enim dux miſerorum mercede fraudatorum militum ſuccubuerit; qui vero de rebus illic ab eo geſtis, ad vos ex hoc loco expedite mentiantur, exſtiterint; et vos ex auditu, quicquid in mentem venerit, temere decreveritis: quid, quæſo vos, exſpectandum eſt? Sed quodnam iſtis malis remedium invenietur? Hoc, ſi vos, Athenienſes, eoſdem deſignabitis et

milites

milites et teſtes actorum ducis: et ubi domum reverſi fuerint judices rationum referendarum. Neque enim vobis audienda tantum veſtra ſunt, ſed et coram intuenda. (91) Nunc eo flagitii ventum eſt, ut quique duces bis et ter capitis cauſam apud vos dicant, cum hoſtibus autem eorum nemo vel ſemel de vita dimicare ſuſtineat: utque plagiariorum et furum interitum honeſtæ morti præferant. Malefici enim eſt, judicum ſententia condemnatum emori: ducis, cum hoſtibus præliantem. Veſtri autem alii circumeuntes, cum Lacedæmoniis agere dicunt Philippum, de Thebanorum everſione, et reſpub. divellere: alii, eum miſiſſe legatos ad regem Perſarum: alii oppida munire in Illyriis: alii, ſuas quiſque commenti fabulas obambulamus. Ego vero equidem exiſtimo, Athenienſes, ebrium eſſe eum rerum geſtarum magnitudine, et ejuſmodi ſomnia multa ſuo cum animo agitare: cum quia vidit neminem eſſe qui impediat, tum ſucceſſibus elatum: non tamen ea ſic agere inſtituiſſe, ut qui apud nos ſunt amentiſſimi norint quid ille ſit facturus. Stolidiſſimi enim ſunt iſti nugatores. At ſi, his omiſſis, illud ſpectemus, hominem eſſe nobis inimicum: et noſtras nobis opes eripere: et longo jam tempore inſolenter ſe geſſiſſe: et quæcunque ſperavimus aliquem pro nobis eſſe acturum, ea, ut conſtat, contra nos eſſe omnia: et cætera in nobiſmetipſis eſſe poſita: et, ſi nunc illic belligerare noluerimus cum eo, idem fortaſſe nobis hic facere neceſſe fore: hæc ſi ſtatuerimus, et recte ſentiemus, et inanes fabulas miſſas faciemus. Neque enim quæ ſint futura, quærendum eſt: ſed adverſa futura (niſi rebus gerendis intenti fueritis, et fungi officio volueritis) pro comperto habendum. (92) Ego igitur nec unquam alias ad gratiam loqui inſtitui, niſi idem et profuturum vobis perſuaſum haberem: et nunc quæ ſentio ſimpliciter omnia, ſine ulla tergiverſatione libereque ſum elocutus. Velim autem, ut exploratum habeo,

e re

e re vestra esse, ut ea quæ optima sunt, audiatis: sic scire me etiam fidelissimo suasori idem profuturum. Multo enim minus gravate dixissem. Nunc, quanquam obscurum est, quidnam hinc consecuturus sim; tamen quia persuasum habeo, hæc factu vobis fore utilia, dicere institui. Vincat autem id quod vobis omnibus profuturum est.

DEMOSTHENIS PHILIPPICA II.

LIBANII Argumentum In Philipp. Orat. II.

Monet Athenienses hâc oratione Orator, Philippum ut hostem suspectum esse habendum: neque paci fidendum nimis, sed expergiscendum, & rebus gerendis animum adjiciendum, & bellum apparandum esse. Criminatur enim Philippum, ut qui & Athenien-sibus & Græcis omnibus insidietur: idque satis ipsius testari facta dicit. Pollicetur etiam, se responsurum legatis qui advenerunt; quod Athenienses æstuabant, cum respondendum esset. Unde vero illi, & quibus de rebus venerint, etsi in oratione non exprimitur, tamen e Philippicis historiis cognosci potest. Per id enim tempus legatos miserat Philippus ad Athenien-ses, conquerens se apud Græcos sine causa traduci, ut qui multa & magna pollicitus, nihil eis præsti-tisset; negat enim se vel pollicitum, vel frustratum esse: & ea probari postulat. Atque etiam Messenii & Argivi legatos cum Philippo Athenas miserant, & ipsi criminantes populum, (94) qui Lacedæmoniis Peloponnesum opprimentibus & faveret, & adesset: sibi autem de libertate dimicantibus adversaretur. Athenienses igitur non habent, quid vel Philippo vel civitatibus

vitatibus respondeant. Nam & Lacedæmoniis bene cupiunt, & Argivorum ac Messeniorum cum Philippo conspirationem, simul & oderunt, & suspectam habent: neque tamen pronunciare audent, recte facere Lacedæmonios. Quod vero ad Philippum attinet, etsi spe frustrati sunt, non tamen ab eo decepti esse videntur. Philippus enim neque ullam pollicitationem literis inscripserat, neque per suos legatos quicquam promiserat: sed Athenienſium quidam in spem erexerant populum, fore ut Philippus Phocenses conservaret, & Thebanorum ferociam retunderet. Propterea Demosthenes responsionum facta mentione, se eas daturum pollicetur: sed justum esse ait, ut ab illius difficultatis auctoribus etiam responsiones exigantur, illis nimirum qui populum deceperint, & Pylas Philippo aperuerint. Quibus verbis Æschinem obscure perstringit, jam tum (ut aiunt) contra eum falsæ legationis actionem parans, quam post intendit, eumque multo ante apud Athenienses criminans.

CUM verba fiunt, Athenienſes, de Philippi factis & violentia, & pacis violatione perpetua; veſtri defenſiones & æquas & humanas apparere video,(95) ſemperque probari orationes eorum, qui Philippum accuſarint: ſed, ut ingenue dicam, nihil recte geri, aut ejuſmodi, ut ſit illas audire operæ pretium. Nam eo jam tota reſpublica redacta eſt, ut quo magis & evidentius oſtenſum fuerit, Philippum & pacem nobiſcum factam violare, & Græcis omnibus inſidiari: eo difficilius ſit ſuadere, quid agi conveniat. In cauſa hæc ſunt: Cum, Athenienſes, omnes ii qui per injuriam plus æquo concupiſcunt, facto coercendi ſint, & actionibus, non orationibus: primum nos, qui ſuggeſtum conſcendimus, hæc decernere & ſuadere, metu veſtræ offenſionis, dubitamus; quæ vero deſignet, quam atrocia, & gravia, & ejus generis alia, commemora-

mus. Deinde vos auditores ad æqua cum ipſi dicendi, tum dicente alio intelligenda, melius Philippo parati eſtis: ad ejus autem conatus, in quibus nunc eſt, prohibendos, omnino eſtis ignavi. Evenit igitur res neceſſaria, opinor, nec minus conſentanea, in quæ utrique ſtudetis, & quibus occupati eſtis, in iis utrique ut excellatis; ille actionibus, vos orationibus. Quod ſi nunc æquiora dicere, ſatis habetis: facile id quidem eſt, nulloque labore conſtat. Sin, ut hic ſtatus rerum corrigatur, providendum eſt, ne imprudentibus nobis omnibus ruat in deterius, neve ea magnitudo copiarum ingruat, cum qua ne congredi quidem poſſumus: non eadem ratio eſt, quæ prius fuit, conſulendi. Sed & oratores omnes, & vos auditores oportebit optima & ſalutaria facillimis & jucundiſſimis anteferre. (96) Primum igitur, ſi quis, Athenienſes, ſecurus eſt, cum videat quantus jam, & quam multis potitus ſit Philippus, & nullum putat periculum ex eo impendere civitati, neque contra vos ea omnia comparari, miror, & æque vos omnes oratos volo, ut meas rationes paucis audiatis, quibus adductus diverſum exſpectem, & hoſtem eſſe Philippum judicem: ut ſi longius aliis ego proſpicere videbor, mihi obtemperetis; ſin ſecuri iſti & ii qui eo freti ſunt, illis aſſentiamini. Ego igitur, Athenienſes, conſidero, quæ Philippus primum poſt pacem obtinuerit, Pylas & Phocenſem regionem. Quid igitur? quomodo his uſus eſt? Quæ Thebanis expediunt, non quæ reipublicæ noſtræ, agere inſtituit. Quamobrem tandem? Nimirum quod ad opes & potentiam, quo jure qua injuria augendam, conſilia ſua referens, non ad pacem aut tranquillitatem, aut ullam æquitatem; prudenter hoc intelligit, ſe noſtræ civitati, noſtriſque inſtitutis, nihil ejuſmodi poſſe vel polliceri, vel præſtare, quo adducti vos, privati emolumenti gratia, cæterorum Græcorum aliquos ipſi condonetis. Sed & juſtitiæ ſtudio, & conjunctæ cum ea re ignominiæ fuga, & providentia rerum quæ decent

cent omnium, æque adversaturos, si quid tale conaretur, ac si bellum gereretis. Thebanos autem putabat, id quod accidit, modo ipsi lucrum facerent, futuros, ut suo arbitratu cætera administraret; & adeo non adversaturos & prohibituros, ut armis etiam adjuturi essent, si jussisset: & nunc, eodem consilio, de Messeniis & (97) Argivis bene meretur; quæ maxima vestra laus est, Athenienses. Ut enim ex his factis apparet, de sol s vobis ita judicatur, vos, nullius emolumenti causa, Græcorum defensionem deserturos, nulla gratia, nullo commodo benevolentiam erga Græcos commutaturos. Atque adeo jure & de vobis ita sentit, & de Argivis ac Thebanis aliter; non in hæc modo tempora intuens, sed & superiora considerans. Invenit enim scilicet, atque audit, vestros majores, cum eis liceret reliquis imperare Græcis, ut ipsi regi Persarum parerent, eam conditionem non modo esse aspernatos, cum Alexander, a quo isti oriundi sunt, ea de re nuncius venisset; sed & urbem deserere maluisse, & nullas pati ærumnas recusasse: talesque res gessisse postea, quas ut omnes celebrare perpetuo gestiunt, sic pro dignitate ornare nemo potuit. Qua de causa eas & ego jure prætereo. Majora enim sunt eorum facinora, quam quæ oratione explicentur. At Thebanorum & Argivorum majores, illos in exercitu fuisse barbari, hos ei non esse adversatos. Intellexit igitur, utrosque privato commodo fore contentos, non communem Græciæ utilitatem spectaturos. Proinde putavit se, si vos amicos delegisset, propter justitiam fuisse delecturum: sin illis se adjunxisset, adjutores habiturum suæ cupiditatis. Ob hæc illos vobis & tunc & nunc præfert. Neque enim triremes eis plures adesse videt, quam vobis: neque cum in mediterraneis quoddam invenerit imperium; maritimum imperium & mercatus contemnit: neque oblitus est verborum & (98) pollicitationum, per quas pacem impetravit. At mehercule, dicat aliquis, eum scire hæc omnia, neque ex avaritia, iisve de causis, quas ego criminer,

tum hæc egisse: sed quod æquiora, quam nos, Thebani postularint. Verum hanc vel solam causam ex omnibus ei nunc prætexere non licet. Qui enim Messenam Lacedæmonios relinquere jubet, quo pacto Orchomeno & Coronea tum Thebanis tradita, se illa fecisse, quod æqua esse putaret, simulabit? At vero coactus est? Hoc enim restat scilicet: & præter animi sui sententiam, a Thessalico equitatu, Thebanisque legionibus circumventus, illa concessit? Bene. Proinde dicunt, Thebanos ei suspectos fore: & fabulantur quidam passim, eum Elateam muniturum. Is vero hæc nondum facit, nec, ut ego judico, unquam faciet. Cum Messeniis autem & Argivis contra Lacedæmonios impressionem non facit: sed & milites jam eo mittit, & pecuniam suppeditat, & ipse cum magno exercitu exspectatur, igitur eos qui Thebanorum hostes sunt, Lacedæmonios evertit: quos vero prius ipse perdidit, Phocenses, in integrum nunc restituit, ecquis ista credat? Ego vero existimo Philippum, neque si primum coactus fecisset, neque si nunc eis diffideret, eorum hostibus continenter adversaturum: sed ex his quæ nunc facit, illa etiam consilio se fecisse declarat. Quod si quis recte æstimet, ex omnibus perspiciet, eum hæc instruere & moliri contra nostram rempublicam: idque nunc necessario quodammodo ei usu venit. Quod hoc modo intelligetis: Imperare vult: in eo autem vos solos eos esse putat (99), qui possint adversari: injurius est longo jam tempore, cujus ipse rei sibi est optime conscius. Iis enim quæ nobis erepta tenet utitur ad cætera omnia in tuto collocanda. Nam si Amphipolim & Potidæam amitteret: nec domi se tutus posse manere duceret. Utrumque igitur scit, & se vobis insidiari, & vos id animadvertere. Cum autem vos cordatos esse putet, se jure vobis esse odio existimat, & concitatus est, malum se accepturum putans, si occasionem nanciscamini, nisi ipse anteverterit. Propterea vigilat, imminet urbi, colit Thebanorum quosdam & Peloponnensium,

qui

qui illis assentiuntur, quos ut propter avaritiam in hoc rerum statu acquieturos putat: sic propter ingenii stuporem, nihil eorum quæ sequentur prospecturos. Ac si qui vel mediocri prudentia sunt, evidentia iis exempla est cernere: quæ cum res ita ferret, & apud Messenios, & apud Argivos retuli. Præstat autem fortasse vobis etiam exponi eadem. Quam ægre, inquam, Messenii, audituros fuisse putatis Olynthios, si quis in Philippum dixisset illis temporibus, cum Anthemuntem eis concederet, quam urbem sibi omnes priores Macedoniæ reges vendicarant? cum Potidæam donaret, Athenienſium colonis ejectis? cum & nostras inimicitias ipse susciperet, & provinciam illis fruendam daret? Nunquid exspectasse, ita secum actum iri, ut aliquo dicente credituros? Ne vero putetis, Sed, tamen, inquam, cum exiguo tempore alienæ teriæ fructum percepissent, longo suapte privantur ab eo, turpiter ejecti, non victi tantum, sed & proditi alii ab aliis & venditi. (100) Neque enim tuta est liberis civitatibus nimia ista tyrannorum familiaritas. Quid porro Thessali? Num putatis, inquam, cum eorum tyrannos ejiceret, & rursus, cum Nicæam & Magnesiam daret, exspectasse decurionatum fore apud se, nunc receptum? aut qui Pylæam reddidisset, eum privatos ipsorum reditus intercepturum? Nequaquam credidissent. Sed tamen facta sunt hæc, & in conspectu omnibus. Vos autem, inquam, largientem & pollicentem spectatis Philippum: eum autem cum vos jam deceperit, & in fraudem pellexerit, deprecamini, si sapiatis, ne videatis. Sunt quidem certe, inquam, varia reperta ad urbium custodiam & defensionem, veluti aggeres, & mœnia, & fossæ, & quæ sunt ejus generis alia; quæ omnia manu fiunt, & magnos sumptus postulant. Unum autem quoddam commune animus prudentium in semetipso possidet præsidium, quod cum omnibus bono est & salutare, tum vel maxime liberis civitatibus contra tyrannos. Quodnam igitur illud est? Diffidentia. Hanc custodite, hanc amplectamini:

mini: hanc ſi conſervabitis, extra omne periculum eritis. Quid vero quæritis, inquam? libertatem? An vero non videtis, Philippum alieniſſimas huic vel appellationes habere? Rex enim & tyrannus omnis eſt libertatis inimicus, & legibus infeſtus. Non proſpicietis, inquam, ne dum belli finem quæritis, dominum inveniatis? His illi auditis, & applaudentes ut recte dictis, & multis etiam aliis orationibus a legatis, & præſente me, & denuo poſt habitis, ut credibile eſt: nihilo magis avellentur a Philippi amicitia, ejuſve pollicitationibus. (101)Neque hoc eſt abſurdum, ſi Meſſenii & Peloponneſes quidam contra ea quæ animo eſſe optima perſpiciunt, aliquid agent: ſed vos ipſi, qui & intelligitis ipſi, & e noſtris concionibus auditi, vobis inſidias fieri, vos circumvallari, quæ jam veſtra ſocordia eſt, omnibus his, ut mihi videtur, nec opinantes opprimemini. Sic brevis voluptas & otium plus valet aliquando, poſt ſecutura utilitate. Ac de iis quidem quæ vobis agenda ſint, ipſi deinceps ſeorſim deliberabitis, ſi ſapietis. Quæ vero nunc reſpondere poſſitis, ut veſtra decreta recta eſſe videantur, ea jam dicam. Æquum eſſet, Athenienſes, eos qui pollicitationes attulerunt, quibus adducti pacem feciſtis, citari. Neque enim ipſe unquam ſuſtinuiſſem obire legationem, neque vos, ſatis ſcio, belligerare deſiiſſetis, ſi ita acturum Philippum, pace impetrata, putaſſetis. Nam quæ tum dicebantur, multum ab his diffidebant. Et rurſus alios citari eſt æquum. Quos? Eos qui cum ego, facta jam pace, a poſteriore legatione quæ ad exigendum jusjurandum miſſa erat, reverſus, fucum reip. fieri ſentiens, hæc prædicebam, & intercedebam & Pylas atque Phocenſes amitti non finebam: dicebant, me, qui aquam potarem, non injuria difficilem & moroſum eſſe hominem: Philippum autem, quod optaretis vos, ſi intra Pylas progreſſus eſſet, facturum, & tum Theſpias & Platæas munituram, tum Thebanorum ferociam repreſſurum, tum Cherſoneſum ſuis ſumptibus perfoſſurum, tum Eubœam & Oropum

pro

pro Amphipoli vobis redditurum. Nam hæc omnia hic pro ſuggeſto, ſat ſcio, meminiſtis eſſe dicta, quanquam parum acres in animadvertendis improborum injuriis. (102) Et quod eſt omnium turpiſſimum, etiam poſteros, ad quos ejus ſpei quam vos habetis, pertinet hæreditas, eadem pace implicaſtis. Uſque adeo in fraudem eſtis illecti. Quid igitur hæc nunc dico? & illos citari jubeo? Ego, ita me dii ament, verum apud vos libere dicam, & non diſſimulabo: non ut in convitium delapſus, efficiam ut ego viciſſim convitiis apud vos inceſſar; iis autem qui ab initio mihi infeſti fuerunt, novam præbeam occaſionem aliquid accipiendi a Philippo, neque ut fruſtra garriam: ſed quod aliquando vobis moleſtiora fore Philippi facta puto, quam nunc. Rem enim progredi video, neque ſane velim conjecturas meas eſſe veras: ſed vereor ne id jam nimis in propinquo ſit. Quando igitur vobis non jam liberum erit, ea quæ eveniunt negligere: neque iſta contra vos parari & ſtrui, ex me audietis, aut aliquo quopiam, ſed ipſi omnia videbitis, & probe ſcietis: iracundos & aſperos fore vos exiſtimo. Vereor autem, ne, cum ea legati reticuerint, ob quæ ſe largitionibus corruptos eſſe ſciunt, iis qui ea quæ per iſtos perierunt, inſtaurare conantur, veſtram experiri iracundiam uſu veniat: cum videam quoſdam fere non inſontes, ſed in proximos quoſque potiſſimum, iræ dirigere impetum. Dum igitur res differtur, & comparatur, & alius alium exaudimus, unumquemque veſtrum, licet probe gnarum, tamen commonefactum volo, quis ille ſit, qui Phocenſes & Pylas vobis deferendas ſuaſerit: quibus ille potitus, via potitus eſt in Atticam, & in Peloponneſum invadendi: eoque rem redegit, ut vobis non jam de tuendo jure Græcorum & provinciis defendendis conſultandum ſit: (103) ſed de patrii ſoli agris, & bello Atticæ imminente; quod ubi aderit, veſtrum unicuique moleſtum erit, ſed illo die factum eſt. Niſi enim tum decepti effetis vos, reſpublica non laboraret: neque

enim navali bello ſuperior claſſe unquam in Atticam veniſſet Philippus, neque itinere pedeſtri ſupra Pylas & Phocenſes pervaſiſſet: ſed aut æqua feciſſet, & ſervata pace quieviſſet, aut e veſtigio bello eſſet non minore circumventus, quam id fuit, propter quod tum prius pacem expetiverat. Hæc igitur, ut admonendi gratia, nunc dixiſſe ſufficiat: abſit autem, idque dii omnes prohibeant, ne experiundo certiſſime comprobentur. Neminem enim velim equidem, etſi exitio ſit dignus, cum omnium periculo & damno, ſuæ improbitatis dare pœnas.

DEMOSTHENIS PHILIPPICA III.

LIBANII ARGUMENTUM.

Simplex orationis hujus eſt argumentum. Nam cum Philippus verbo pacem ageret, revera Athenienſes multis injuriis laceſſeret: hortatur eos Orator, ut inſurgant, & regem ulciſcantur; quod magnum periculum & ipſis impendeat, & omnibus communiter Græcis.

QUUM multa verba fiant, Athenienſes, in omnibus fere concionibus, de injuriis Philippi, quibus, ex quo pacem fecit, non ſolum vos, ſed & reliquos Græcos afficit; cumque omnes, res ipſa confiteri cogitat (etſi id quidem non faciunt) neceſſe eſſe & convenire, ut omnes ea tum dicant, tum agant, per quæ ejus inſolentia reprimatur & puniatur: eo rediiſſe tamen omnia negotia & per incuria prolapſa eſſe video, ut verear, ne dictu odioſum, verum tamen ſit: Si omnes oratores dicere, voſque

que decernere velletis ea, per quæ res quam afflictiſſimæ fierent; (105) exiſtimare me, ſtatum earum, quam nunc eſt, non poſſe fieri deteriorem. Ac multæ fortaſſe ſunt cauſæ, cur hæc ita ſe habeant: neque propter unum atque alterum vitium res huc redierunt, potiſſimum tamen, ſi recte conſideratis, ii ſunt in culpa, qui jucundiſſima dicere malunt, quam utiliſſima: quorum alii, Athenienſes, dummodo, quibus rebus ipſi gloria florent & valent, eas tueantur, nullam futurorum rationem habent: quare nec vos habere oportere putant: alii, eos qui in rerum adminiſtratione conſtituti ſunt, criminando & calumniando, nihil aliud faciunt, niſi ut civitas ipſa de ſe pœnas ſumat, & ea re occupetur: Philippo autem quidvis & agere, & dicere liceat. Quæ inſtituta ut uſitata vobis, ita cauſæ ſunt perturbationis & delictorum. Peto autem a vobis, Athenienſes, ſi quid veri libere dixero, ne propterea mihi iraſcamini, ſed ſic potius rem conſideretis: vos loquendi libertatem in aliis rebus ita communem putatis eſſe oportere omnibus in urbe degentibus, ut & hoſpitibus & ſervis eam impertieritis: & multos apud vos ſervos videre eſt, quidvis loqui liberius, quam cives in quibuſdam aliis urbibus, a conſulendo autem omnino eandem repuliſtis. Unde id conſequimini, ut in concionibus faſtidiatis, aſſentationibus deliniti, & omnia quæ voluptati ſunt, audiatis: in rebus autem & factis, de extremis jam periclitemini. Quod ſi nunc etiam ſic affecti eſtis, non habeo quid dicam. Sin, quæ in rem veſtram ſunt, ſine adulatione audire voletis: dicere ſum paratus. (106) Tametſi enim res omnino male ſe habent, multaque per ſocordiam perierunt: tamen eæ, ſi vos vel nunc officio fungi volueritis, omnes corrigi poſſunt. Ac mirum fortaſſe videbitur quod dicam, ſed verum: quod præteritis temporibus fuit peſſimum, id ad futura eſt optimum. Quid igitur id eſt? Quod dum vos neque magnum, neque parvum quicquam quod oportet, facitis: res male ſe habent. Quæ ſi vobis omni officio fungentibus,

bus, in hoc loco eſſent: ne ſpes quidem relinqueretur, eas fore meliores, nunc, ſocordiam veſtram & negligentiam ſuperavit Philippus; civitatem non ſuperavit: neque victi vos, imo ne loco quidem moti eſtis. Quod ſi omnes in eo conſentiremus, Philippum gerere bellum cum rep. & pacem violare; nihil aliud ſuaſorem dicere & conſulere oporteret, quam quo pacto Philippum & tutiſſime & facillime ulciſceremur. Cum autem eæ ſint quorundam ineptiæ: ut, urbes illo occupante, & multa quæ veſtra ſunt, obtinente, & omnes mortales exagitante: quoſdam ferant, in concionibus ſubinde dictitantes: noſtrum eſſe quoſdam qui bellum excitemus: caute nobis agendum, & ea opinio minuenda & refutanda eſt: cum verendum ſit, ne quis, ubi ſcripſerit & ſuaſerit, propulſandas eſſe injurias, in crimen excitati belli veniat. Ego vero hoc primum omnium dico & pronuncio: Si civitati vel pacem agere, vel gerere bellum licet, idque in noſtra poteſtate eſt (ut hinc ordiar) affirmo ego, pacem agendam eſſe nobis; & poſtulo, ut is qui hæc dicit, decernat et agat, (107) non faciat impoſturam. Sin alius, cum arma in manibus habeat, et magnas copias circa ſe, nomen pacis nobis objicit, factis belli ipſe videtur: quid reliquum eſt aliud, præter ultionem? Quod ſi profiteri vultis, ut ille, vos pacem agere: non refragor. Si quis autem eam pacem eſſe putat: per quam ille, cæteris captis omnibus contra nos venturus eſt; is primum inſanit, deinde pacem veſtram erga illum, non illius erga vos, commemorat. Illud autem eſt quod omnibus ſuis largitionibus Philippus mercatur, ut, cum ipſe bellum vobiſcum gerat, a vobis bello non petatur. Verum ſi tantiſper cunctabimur, dum ſe nobiſcum belligerare fateatur: erimus omnium ſtolidiſſimi. Neque enim, tametſi Atticam ipſam invaſerit, et Piræeum hoc dicet: ſi ex iis, quæ in alios fecit, conjectura capienda eſt. Nam et Olynthiis, cum quadraginta ab urbe ſtadiis abeſſet, edixit, alterutrum fieri oportere, vel Olynthio

lynthio illis excedendum, vel ſibi Macedonia. Superiore autem tempore, ſi quis ei tale aliquid crimini daret, indignabatur, et ſe per legatos excuſabat: et ad Phocenſes, tanquam ad ſocios et amicos eſt profectus, et legatis Phocenſium eum proficiſcentem comitabantur, et apud nos multi contendebant, ejus ingreſſum non e re fore Thebanorum. Quin et Pheras nuper, ut amicus, ut ſocius, in Theſſaliam ingreſſus, occupavit et tenet. Ac poſtremo miſeris illis Oritis dixit, ſe miſiſſe ad eos ex benevolentia milites qui eos viſerent, audire enim ſe, laborare illos, et ſeditionibus agitare: (108) Eſſe autem ſocii et veri amici, hujuſmodi adeſſe temporibus. Putatis igitur eum eſſe Philippum, qui, cum eos homines, qui nihil ei nocere potuiſſent, ne vero ſibi noceretur, fortaſſe cavere potuiſſent, decipere, quam indicto bello cogere maluerit: vobiſcum ſit ex profeſſo belligeraturus? idque, dum ultro fallimini? Non ita eſt. Etenim mortalium omnium væcordiſſimus eſſet, ſi dum vos, qui injuriis afficimini, nihil eum accuſatis, ſed civium veſtrorum quoſdam culpatis, et mulctare vultis: ipſe conſopita veſtra inter vos lite et contentione, denunciaret, in ſe arma eſſe convertenda, et mercenariis ſuis ea verba eriperet, quibus vos differunt, negantes eum gerere bellum cum republica. Verum, eſtne, proh Divum fidem, quiſquam ſanæ mentis, qui vel pacem ſervantem, vel bellum ſecum gerentem, e verbis magis quam e factis æſtimarit? Nemo ſane. Atqui Philippus ab initio, pace recens facta, Diopithe nondum ducente exercitum, neque miſſis iis qui nunc in Cherſoneſo ſunt, Serrium et Doriſcum occupabat: et Serrii caſtri et Sacri montis milites ejiciebat, quos noſter imperator ibi collocarat. At iſta agendo quid faciebat? In pacem quidem jurarat. Neque quiſquam dicat, Quanti vero iſta ſunt? aut, Quid iſta attinent ad rempublicam? Utrum ea enim parva ſint, aut nulli curæ vobis fuerint; alia erit ea diſputatio. Sed jurisjurandi religio et juſtitia, ſive in parvis, ſive magnis

nis in rebus violetur, eandem utrumque vim habet. Age jam, cum in Cherſoneſum, quam rex Perſarum omneſque Græci noſtram eſſe judicarunt, (109) et milites immittit, et has literas mittit: quid agat? Se belligerare negat. Ego vero tantum abſum, ut eum agentem talia, pacem vobiſcum factam ſervare fatear: ut et Megaris invadendis, et in Eubœa tyrannide molienda, et tunc in Thraciam prodeundo, et inſidiis in Peloponneſo comparandis, et quæ facit, omnia cum exercitu faciendo, ſolvere affirmem pacem, et bellum vobiſcum gerere; niſi eos fortaſſe qui machinas admoliuntur, pacem agere dicatis, donec eas jam ad ipſa mœnia adduxerint. Sed non dicetis. Qui enim quibus ego capiar, ea agit et inſtruit: is bellum mecum gerit, etſi me nondum vel jaculis vel ſagittis petat. Quo igitur vos in periculo eritis, ſi quid acciderit? In eo, quod Helleſpontus a vobis alienabitur: quod is qui vobiſcum bellum gerit, Megaris & Eubœa potietur: quod Peloponnenſes cum eo conſpirabunt. Eum igitur qui hanc machinam contra urbem erigit atque apparat, pacem agere dicam erga vos? Multum certe abeſt. Nam quo die Phocenſes ſuſtulit, ab eo ego vobiſcum eum belligerare ſtatuo. Vos autem, ſi nunc eum propulſetis, prudenter facturos dico; ſin differetis, id neque cum voletis, facere poteritis. Et uſque adeo ab aliorum conſiliis mea diſcrepant, ut mihi videatur, nec de Cherſoneſo, nec de Byzantio eſſe nunc conſultandum: ſed tum his ſuccurrendum, & præcavendum, ne quid eis accidat; & ducibus, qui nunc ſunt illic, omnia quibus indigent, mittenda: tum de omnibus Græcis deliberandum, ut in maximo periculo conſtitutis. (110) Exponam autem vobis, qua de cauſa rebus ita metuam: ut, ſi recte ſentio, ſententiæ meæ accedatis, & rationem aliquam veſtrum ipſorum ſaltem, ſi omnino alios negligitis, habeatis; ſin nugari & mentis affici errore videbor, neque nunc neque in poſterum mihi ut ſano auſcultetis. Philippum

pum igitur magnum e parvo & humili ab initio paulatim esse factum, & Græcos diffidere mutuo, & agitari seditionibus: & multo minus credibile fuisse, tantum eum e tantillo fore, quam nunc, cum adeo multa intercepit, etiam cætera subacturum; & reliqua ejus generis omnia, quæ commemorare possem, prætermittam: sed illud ei video concessisse mortales omnes, a vobis initio facto, de quo antea semper universa Græca bella extiterunt. Quid igitur illud est? Agere quicquid ei libet, & singulatim quosvis ita concidere, & spoliare Græcos, & invadere atque opprimere urbes servitute. Atqui patroni vos tres & septuaginta annos Græcorum fuistis: patroni item undetriginta, Lacedæmonii. Fuerunt & Thebanorum extremis hisce temporibus aliquæ vires, post pugnam Leuctricam. Sed tamen neque vobis, neque Thebanis, neque Lacedæmoniis ullo unquam tempore, Athenienses, concessum fuit hoc a Græcis, ut quod libitum esset, ageretis. Neque multis verbis est opus. Sed & vobis, ac potius illius temporis Athenienſibus, cum quosdam non tractare moderate viderentur, omnes putabant bellum esse inferendum: non modo qui affecti erant injuria, sed ii etiam, qui nihil queri de eis poterant: (111) & rursus, Lacedæmoniis imperantibus, & eundem quem vos tenueratis, principatum adeptis, cum insolescere cœpissent, & immoderatius instituta vetera convellerent, omnes bellum intulerunt, ii etiam, qui nihil de eis querebantur. Et quorsum attinet referre cæteros? Quin nos ipsi, & Lacedæmonii, cum ab initio nihil dicere possemus, quo alteri ab alteris violati essemus; tamen propter injurias, quibus alios affici videbamus, bellum esse gerendum putavimus. Verum omnia quæ a Lacedæmoniis peccata sunt per triginta illos annos, & a majoribus nostris per septuaginta, minora sunt, Athenienses, iis, quæ Philippus tribus & decem non totis annis, quibus aliquid esse cœpit, in Græcos commisit: imo

nec minima pars illa ſunt horum, idque paucis oſtendi verbis facile poteſt. Ac Olynthum quidem, & Methonam, & Apolloniam, & duas & triginta urbes in Thracia omitto: quas univerſas adeo crudeliter excidit, ut ſi acceſſeris, nec an unquam habitatæ fuerint, facile dicas: & gentem tantam Phocenſium deletam taceo. Sed Theſſaliæ qui ſtatus eſt? Nonne & urbes & reſpublicas eis ademit? & Theſſaliam in quatuor præfecturas diviſit? ut non ſingula oppida duntaxat, ſed gentes etiam ſervirent. Euboicæ porro urbes nonne jam tyrannis parent, eæque in inſula vicina Thebis & Athenis? Nonne aperte ſcribit in literis, Mihi vero pax eſt cum iis, qui mihi parere volunt? Neque vero hæc ſcribit, reipſa non exequitur: ſed Helleſpontum invadit, & pridem Ambraciam aggreſſus fuit: Elidem habet, tantam Peloponneſi urbem: (112) Megaris nuper inſidiatus eſt. Neque Græcia neque Barbaria hominis avaritiam capit. Quæ cum Græci omnes & audiamus, & videamus, non alii legatos mittimus ad alios, non indignamur: ſed adeo ſumus amentes, atque oppidatim, tanquam foſſis interjectis & vallis, ſeparati, ut in hunc uſque diem neque rationibus noſtris conſulere quicquam, neque officio ulla ex parte fungi poſſimus, neque inire concordiam, neque ſocietatem auxilii & amicitiæ ullam facere: ſed incrementa potentiæ Philippi ſecure negligamus, idque tempus, dum alius perit, unuſquiſque in lucro deputare decreverit (ut mihi quidem videtur) non de procuranda Græcorum ſalute cogitationis aliquid laboriſque ſuſcipiat. Atqui eum, tanquam converſionem atque acceſſionem febris, aut alterius mali, etiam in illum, qui ſibi procul a periculo nunc abeſſe videtur, invaſurum; nemo eſt qui neſciat. Jam illud quoque noſtis, quicquid a vobis & Lacedæmoniis Græci perpeſſi fuerunt, ea ſaltem a germanis Græciæ civibus eſſe perpeſſos: idque perinde æſtimari potuit, ac ſi filius natus in ampla familia legitimus,

gitimus, aliquid non bene neque recte administraret. Is, ob idipsum dignus esset reprehensione & accusatione: sed eum ut alienum, aut non hæredem eorum, illa facere, non posset dici. Quod si servus aut subdititius ea, quæ nihil ad ipsum attinerent, perderet & vastaret, O Jupiter, quanto id indignius & gravius ferendum esse omnes dicerent? Num vero erga Philippum & ejus actiones ita nunc affecti sunt? qui tantum abest ut Græcus sit, Græcisve ullo modo conjunctus, ut nec inter Barbaros sit honesto loco natus, sed perditus Macedo; (113) unde frugi mancipium olim nullum emi potuit. At qua extrema contumelia abstinet? Nonne præterquam quod urbes evertit, etiam Pythiis præest, communibus Græcorum ludis: quod si ipse abfuerit, servos suos mittit certamini præfuturos? Nonne Pylas, & Græciæ aditus tenet? nonne præsidiis & peregrino milite loca illa tuetur? nonne etiam in accipiendis Apollinis oraculis prærogativam habet, repulsis nobis & Thessalis & Dorienſibus & aliis Amphictyonibus: in cujus dignitatis societatem nec Græci omnes veniunt? Nonne Thessalis præscribit rationem gerendæ reipublicæ? nonne peregrinos milites ad Porthmum mittit, populum Eretrienſium ejecturos? nonne alios Oreum, Philistidem tyrannum imposituros urbi? Sed Græci tamen hæc tolerant, eodemque modo, quo qui grandinem (ut mihi quidem videtur) spectant: optat quisque, ne in suos agros deferatur, prohibere conatur nemo. Tantum autem abest, ut illatas ab eo Græciæ contumelias quisquam vindicet: ut neque suas quisque injurias ulciscatur, hoc enim jam extremum est. Nonne Corinthiorum oppida, Ambraciam & Leucadem, invasit? nonne Achæis Naupactum ademptam, Ætolis traditurum juravit? nonne Thebanis Echinum eripuit? An non contra Byzantios nunc ducit exercitum, socios quorum? nonne vestros? Omitto cætera, sed Chersonesi maximam habet urbem Cardiam. Cum ad hunc mo-

dum tractemur omnes: cunctamur, & effœminati sumus, & ad proximos respicimus, aliis alii diffidentes, eo tam aperte nobis insultante. Quid vero facturum putatis eum, qui in universos ita est petulans, ubi nos singulatim omnes subegerit? (114) Quæ igitur causa est harum rerum? Neque enim sine ratione & justa causa, vel tum adeo alacres erant ad libertatem defendendam omnes Græci, vel nunc ad tolerandam servitutem. Fuit tum aliquid, fuit, Athenienses, in populi animis, quod nunc non est: quod Persarum opulentiam vicit, quod Græciæ libertatem asseruit, quod neque navalibus, neque terrestribus in præliis succubuit: id postquam nunc perditum est, omnia corrupit, & totam Græciam sursum deorsum promiscuit. Quid igitur fuit illud? Nihil multiplex, aut artificiosum: sed universale & perpetuum odium eorum, qui a dominandi cupidis, aut etiam Græciam corrumpere conantibus, pecuniam accipiebant. Gravissimum crimen erat, si quis acceptorum munerum convinceretur: eumque maximis pœnis afficiebant: neque deprecationi erat, aut veniæ quicquam loci. Proinde occasionem singularum rerum, quam fortuna etiam negligentibus contra attentos, & ignavissimis contra strenuissimos sæpe suppeditat, a nemine vel oratore, vel imperatore nundinari licebat: neque etiam concordiam inter nos, neque diffidentiam adversos Barbaros & tyrannos, neque denique tale quicquam. Nunc tanquam e foro & divendita sunt hæc omnia: & contra importata ea, per quæ Græcia & periit, & laboravit. Ea quæ sunt? Admiratio, si quis aliquid accepit: Risus, si confitetur: Venia, si convincitur: Odium, si quis ista reprehendit: cætera omnia, quæ pendent a corruptelis. Nam & triremes, & multitudinem hominum, & pecuniarii reditus, & reliqui apparatus copia, cætera denique quibus urbium vires æstimari solent, nunc omnia multo & plura & majora sunt, (115) quam superiori ætate; sed universa hæc inutilia

inutilia irrita, manca fiunt per eos qui cauponantur. Ac eum quidem esse nunc statum rerum, ipsi profecto videtis: neque meo testimonio indigetis. Superioribus autem temporibus contrariam fuisse rationem, ego declarabo: non mea verba proferendo, sed scriptum majorum nostrorum ostendendo: quod illi in æream pilam incisum, in arce collocarunt: non ut ipsis usui esset (nam vel sine illo scripto satis erant prudentes) sed ut vos monumenta & exempla haberetis, quanta res tales solicitudine sint curandæ. Quid igitur ait illud scriptum? 'Arthmius, 'inquit, Pythonactis F. Zelites, ignominiosus esto, & 'hostis populi Athenienses & sociorum, ipse & genus ejus." Deinde causa est adscripta, propter quam id factum est: quod aurum e Media in Peloponnesum vexit, non Athenas; hoc scriptum illud est. Considerate igitur, per Deos, & cogitate vobiscum, quæ mens fuerit Athenienſium illius temporis, qui talia facerent, quæve dignitas? Illi Zelitam quendam Arthmium, servum regis (Zela enim Asiæ est oppidum) quod de domini mandato aurum vexisset in Peloponnesum, non Athenas, hostem judicarunt & suum & sociorum, ipsum & cognationem ejus ignominia notarunt. Id vero non est usitatum quoddam genus ignominiæ. Quid enim Zelitæ illius intererat, si republica Athenienſi non frueretur? Scriptum igitur hoc non vult: sed cum in legibus capitalibus contineatur, Quarum rerum pœnas non dederit, capitis requiratur: fas erat eum occidere, (116) &, Ignominiosus, inquit lex, moriatur. Proinde cædis absolvit eum, qui horum aliquem occiderit. Itaque putabant illi, curam sibi salutis Græcorum omnium suscipiendam esse. Alioqui non curassent, si quis in Peloponneso aliquos emeret, aut corrumperet, nisi ita sensissent: neque sic mulctassent, atque ulti essent, quos accipere munera animadvertissent, et eos in pilis proscriberent. Quæ cum fierent, merito Græcia Barbaro erat formidabilis, non Barbaros Græcis. Nunc

aliter. Vos enim non ita animati eſtis neque his, neque cæteris in rebus. Sed quomodo? Noſtis ipſi. Quorſum enim attinet accuſare vos in omnibus? Eadem plane ratio eſt cæterorum Græcorum omnium: Quapropter ego aſſero, & magnum ſtudium, & bonum conſilium requirere hæc negotia. Quòd? dicam? jubetis? & non iraſcemini? E tabula recita. Recitatio tabulæ. Objicitur autem inepta quædam ratio ab iis, qui conſolari civitatem volunt: Philippum nondum eſſe talem, quales aliquando fuerint Lacedæmonii; qui & mari dominarentur, & terra univerſa; qui regem Perſarum ſocium haberent; quibus nihil obſiſteret: & tamen illos ultam eſſe noſtram civitatem, & non abreptam e medio. Ego vero, cum omnia, ut in univerſum dicam, magna incrementa ceperint, & hæc veteribus nulla re ſimilia ſint: nihil eſſe magis arbitror, quam res bellicas, mutatum & auctum. Primum, audio Lacedæmonios tunc, & omnes cæteros Græcos, quatuor aut quinque menſes opportuno belli tempore militaſſe: ac tum impreſſione facta, & hoſtium agro infeſtato,(117) legionibus & urbanis copiis, domum rediiſſe. Adeo autem fuerunt ſimplices, vel potius civiles, ut ne pecunia quidem quicquam ab ullo redimerent: legitimum quoddam & apertum bellum gerebatur. Nunc videtis utique proditorum opera plurima periiſſe: nihil inſtructa acie collatiſque ſignis geri. Auditis Philippum, non quia legiones armatas ducit, ire quo libet: ſed quod ferentariis, equitibus, ſagittariis peregrinis, tali exercitu inſtructus eſt. Quibus dum pollet, cum in eos irruit qui diſcordia laborant, turbatique ſunt: quorum nemo pro agri defenſione, propter diffidentiam, prodit: adductis machinis illos oppugnat. Ut interim taceam: nihil eum habere diſcriminis inter hyemem & æſtatem: neque ullum illi eſſe tempus eximium, quod intermittat. Quæ cum omnes ſciatis, providendum vobis, & non committendum eſt, ut bellum in noſtram ditionem ingruat;

gruat; ne, dum ad Laconici belli ſimplicitatem reſpicitis, colla frangatis: ſed quam diutiſſime ante cavendum; ac rebus gerendis & apparatibus, ne domo ſe moveat, efficiendum: non conſertis manibus decertandum. Nam ad bellum multæ naturæ nobis ſunt commoditates: modo ea facere velimus, quæ debemus, Athenienſes: natura regionis illius: cujus magnam partem hoſtiliter diripere & infeſtare poterimus: alia ſexcenta. Sed ad prælium melius ille, quam nos, eſt exercitatus. Neque vero ſolum ita ſentiendum eſt, aut ille belli operibus ulciſcendus: ſed & animo & cogitatione: quique apud vos ejus cauſam agunt, odio proſequendi ſunt. (118) Neque enim hoſtes extra urbem ſuperari poſſunt, priuſquam eos, qui intra urbem illi operam navant, puniveritis. Quod ita me amet Jupiter, altique dii, neque poteſtis vos facere, neque vultis. Sed in eam ſtultitiam veniſtis, aut delirium, aut neſcio quid dicam (ſæpe enim illud etiam vereri mihi ſubit, ne quod numen res agitet) ut convicii, aut invidiæ, aut dicterii gratia: quæcunque vobis cauſa in mentem inciderit: homines mercenarios (quorum quidam haud negaturi ſint ſe eſſe tales) dicere jubeatis: & rideatis, ſi quibus convicia fecerint; neque dum hoc grave eſt, quanquam grave, ſed et illud eis dediſtis, ut minore cum periculo rempubl. gerant, quam veſtri defenſores. Atqui ſpectate, quanta ex eo mala exiſtant: quod eos qui tales ſunt, audire vultis. Dicam autem ea quæ omnes intelligetis. Erant Olynthi quidam in magiſtratu, Philippi ſtudioſi, et in omnibus ei rebus obſequentes: quidam optime ſentiebant, et ſervitutem a civibus depellere nitebantur. Utri autem patriam perdiderunt? aut utri equites prodiderunt, quibus proditis, Olynthus interiit? Philippi ſtudioſi: atque iidem urbe incolumi, eos qui civibus ſuis optime conſulebant, ita calumniabantur, ita criminabantur, ut etiam ad ejiciendum Apollonidem populus

Olynthiorum

Olynthiorum impelleretur. Neque vero apud hos ſolos iſta conſuetudo, malorum omnium cauſa fuit, ſed vero nuſquam: ſed Eretriæ, poſtquam digreſſo Plutarcho, et peregrino milite, populus urbem tenebat, et Porthmum: alii ſummam rerum ad nos transferebant, alii ad Philippum: (119) his in pleriſque, ac potius in omnibus auſcultantes miſeri & infelices Eretrienſes, tandem adducti ſunt, ut ſuos defenſores ejicerent. Proinde miſſo Hipponico, ſocius & amicus eorum Philippus, & peregrinis mille, muros Porthmi diruit & tres impoſuit tyrannos, Hipparchum, Automedontem, Clitarchum: & poſtea bis regione expulit, cum jam ſervari vellent: miſſis primum illis cum Eurylocho militibus, deinde aliis cum Parmenione. Et quorſum attinet agere pluribus? Orei porro Philippi negotium agebant, Philiſtides & Menippes, & Socrates, & Thoas, & Agapæus, qui nunc tenent urbem: & hæc norant omnes. Homo autem quidam Euphræus, qui aliquando hic apud vos habitavit, hoc efficere conabatur, ut liberi eſſent, & ſervirent nemini. Quibus is injuriis & contumeliis ab Oritano populo fuerit affectus, multa dici poſſent. Annon autem ante excidium proditionis reum fecit Philiſtidem, & gregales ejus: animadverſis eorum conatibus? Concitati autem homines multi, & præbitorem habentes Philippum, & conſiliis ejus inſtructi, abducunt Euphræum in carcerem, ut reipublicæ perturbatorem. Ea videns populus Oritanus, hunc adeo non adjuvit, illoſve in cruciatum egit: ut nec his iraſceretur, & illum merito illa ferre diceret, eique inſultaret. Deinde illi tantum nacti poteſtatem, quantam voluerant: id agebant, ut oppidum caperetur: & rem confecerunt. Quod ſi quis e populo ſenſiſſet, tacebat, & erat attonitus, memor quid Euphræo accidiſſet, (120) adeoque miſere cum eis agebatur, ut non prius auderet quiſquam, tali imminente malo, vocem rumpere, quam inſtructa acie ad muros accederent hoſtes.

ſtes. Tum demum bi oppidum defendebant: illi prodebant. Oppido ita capto, flagitioſe & male, iſti imperant, & tyrannide potiuntur: iis qui tum & ſemetipſos & Euphræum defendebant, omnique fungi officio cupiebant, partim ejectis, partim occiſis. Euphræus autem ille ſemetipſum jugulavit: reipſa teſtatus, ſe jure & integre pro civibus reſtitiſſe Philippo. Quidnam igitur cauſæ ſit, miramini fortaſſe, cur & Olynthii, & Eretrienſes, & Oritæ magis Philippi defenſoribus faverint, quam ſuis? Eadem cauſa, quæ & apud vos: Quod ii qui reipubl. conſultum volunt, ne quidem ſi cupiant, quicquam ad gratiam dicere aliquando poſſunt. Nam res ipſæ ut incolumes ſint, providendum eſt: illi, his ipſis quæ in Philippi commodum agunt, gratiam ineunt. Tributum conferre jubebant: illi nihil: bellum gerendum eſſe dicebant, & diffidendum: illi pacem agendam, donec circumventi ſunt. Cætera eodem fere modo omnia; ne ſingula referam. Alteri igitur ea dicebant, quæ in præſentia delectarent: alteri, quæ ad incolumitatem in poſterum retinendam pertinerent: eaque cum offenſione conjuncta. Multa autem vulgus etiam poſtremo, non tam vel gratiæ cauſa, vel per ignorationem ferebat; quam quod cedendum eſſe temporibus videbatur: poſtquam ſe omnino eſſe impares putabant. Quod idem, ita me amet Jupiter & Apollo, vereor, ne vobis etiam accidat, poſteaquam videritis vos conſilio nihil proficere. Atque eos qui vos eo redigunt, non horreo, ſed deteſtor. Aut enim de induſtria, aut per ignorantiam, (121) in difficultatem adducunt rempublicam. Verum abſit, Athenienſes, ut res eo redeant. Mori enim millies præſtat, quam per aſſentationem Philippo quicquam conficere, & aliquos veſtri defenſores abjicere. Præclara nunc Oritano populo relata eſt gratia, quod Philippi amicis ſe commiſerunt, Euphræum autem impulerunt. Præclara populo Eretrienſium, quod veſtros

legatos

legatos repulerunt, Clitarcho ſe dediderunt. Serviunt illi ſane, flagris afficiuntur, & torquentur. Præclare Olynthiis pepercit, qui ut Laſthenem magiſtrum equitum creaverunt, ſic Apollonidem ejecerunt. Stultitiæ & ignaviæ eſt talia ſperare, atque interim male conſulere, & nuſquam officio fungi velle: iis autem qui hoſtium cauſam agunt, audiendis, urbem tanta magnitudine ſe incolere exiſtimare, ut extra omne periculum poſita ſit. Atqui turpe illud eſt, ſi quid poſt acciderit, dicere: Quis vero putaſſet hæc futura? Hercule vero: illud enim atque illud faciendum fuerat: & hoc & non faciendum. Multa nunc dicere poſſint Olynthii, quæ tum ſi prævidiſſent, non periiſſent: multa Oritæ, multa Phocenſes, multa quicunque perierunt. Sed quidnam hæc eis proſunt? Dum navis eſt incolumis, ſive ea major ſive minor ſit; tum decet & nautam, & gubernatorem, & omnem virum eſſe ſtrenuum: utque nec de induſtria, nec imprudens, quiſquam eam evertat, providere; nam ubi mare ſuperat, inane eſt ſtudium. Quare nos quoque, Athenienſes, dum ſumus incolumes, dum urbem maximam habemus, dum opportunitates plurimas, dum exiſtimationem honeſtiſſimam: (122) quid agamus, jamdudum aliquis in hoc conſenſu libenter fortaſſis rogaret? Ego profecto dicam, atque etiam decernam: ut, ſi voletis, exequamini. Ubi ipſi in primis vim propulſamus, & inſtruimur triremibus, pecuniis, & militibus dico (etenim ſi alii univerſi in ſervitutem conſentiant, vobis certe pro libertate certandum eſt) hæc igitur omnia ubi inſtruxeritis, & Græcis declaraveritis; cæteros jam convocemus, & qui hæc edocturi ſint, legatos paſſim dimittamus, in Peloponneſum, Rhodum, Chium, ad regem Perſarum inquam. Neque enim ab illius rationibus abhorret, neque iſtum evertere ſinamus omnia: ut, ſi perſuaſeritis, ſocios habeatis & periculorum & ſumptuum, ſi ſit neceſſe: ſin minus,

rem

rem ſaltem differatis. Quia enim cum viro, non cum conjunctæ civitatis viribus bellum eſt; ne hoc quidem nullum habet uſum: neque ſuperioris anni legationes in Peloponneſum illæ fuerunt irritæ, quas ego & Polyeuctos optimus ille vir, & Hegeſippus, & Clitomachus, & Lycurgus, & alii legati paſſim obivimus: neque accuſationes, quibus rebus effecimus, ut ille repreſſo impetu nec Ambraciam invaderet, nec in Peloponneſum irrueret. Illud autem non dico, ſi ipſi nihil quod neceſſe eſt, pro nobiſmet ipſis agere velimus, alios eſſe convocandos. Etenim abſurdum fuerit, ut qui ipſi ſua deſerunt, aliena ſe curare profiteantur; & dum præſentia negligunt, rerum futurarum metum aliis proponant. Non dico hæc: ſed Cherſoneſitanis militibus pecuniam dico eſſe mittendam, & alia quæcunque poſtulant, facienda: ipſi autem nos inſtruamur, (123) & fungamur officio primi: ac tum demum cæteros Græcos convocemus, congregemus, doceamus, admoneamus. Hæc ſunt civitatis tanta præditæ autoritate, quantam vos obtinetis. Sin putatis Chalcidenſes Græciam ſervaturos, aut Magarenſes, vos moleſtias actionum vitaturos: non recte putatis. Bene enim cum illis agitur, ſi eorum quiſque manſerit incolumis. Vobis, vobis id eſt agendum: vobis majores veſtri munus & decus id per multa & præclara & magna diſcrimina partum reliquerunt. Sed ſi unuſquiſque, quod cupit, id requirens ſedebit, & hoc ſpectabit, ne quid ſibi laboris capiendum ſit: primum nunquam eos inveniet, qui rem gerant; deinde metuo, ne omnia quæ nolumus, facere ſit neceſſe. Nam ſi qui eſſent, jam olim inventi eſſent, cum quidem voſipſi nihil agere velitis. Sed non ſunt. Ego igitur hæc dico, hæc decerno: & puto nunc etiam res poſſe emendari, ſi hæc fiant. Si quis autem his melius aliquid habet, dicat & ſuadeat. Quod autem vobis probatum fuerit, id omnes Deos precor ut ſit ex uſu reipublicæ.

DEMOS.

DEMOSTHENIS PHILIPPICA IV.

LIBANII ARGUMENTUM.

Idem & hujus Orationis argumentum eſt, quod præcedentis: neque quicquam in ea ineſt amplius aut peculiare, præter illam de concordia rationem. Quum enim divites a pauperibus diſſentiant, Demoſthenes operam dat, ut ſeditionem compeſcat: plebi ſuadens, ne divitum fortunas publicet: divitibus, ne lucellum illud quod e publico percipiunt, tenuioribus invideant. Suadet etiam Athenienſibus, ut regis Perſarum per legatos ſocietatem expetant.

QUUM & gravibus vos, Athenienſes, & reipublicæ neceſſariis de rebus deliberare putem: operam dabo ut ea dicam, quæ e republica eſſe arbitror. Quanquam autem peccata non pauca ſunt, neque parvo tempore cumulata, per quæ in hæc mala incidimus; nihil tamen omnium eſt, Athenienſes, in præſentia difficilius, quam quod vos animis a rebus gerendis abhorretis: & tantiſper (125) navatis operam, dum ſedetis, & auditis, ubi quid novi nunciatum fuerit; deinde veſtrum quiſque digreſſus, non modo non curat ea, ſed nec meminit. Ac petulantiæ quidem & avaritiæ, qua erga univerſos mortales Philippus utitur, tanta magnitudo eſt, quantum auditis. Eum autem non poſſe coerceri verbis & concionibus, nemo certe ignorat. Etenim ſi e nulla re alia id cognoſci poſſet, ita conſiderandum eſſet: nos nullo unquam loco, cum de jure diſputandum fuit, victi, nec injuriam feciſſe viſi ſumus; ſed omnes ubique ſuperamus & vinci-

mus

mus oratione. Nunquid igitur propterea illi res adverſæ ſunt, aut reipublicæ proſperæ? multum certe abeſt. Cum enim ille ſumptis poſt armis progreditur, omnes fortunas alacriter in diſcrimen adducens; nos vero ſedemus, poſtquam alii æqua diximus, alii audivimus: fit, ut facta orationibus antevertant, & omnes curent non æquitates quaſcunque nos diximus, aut nunc dicemus, ſed ea quæ facimus. Atqui ejuſmodi ea ſunt, ut neminem oppreſſum injuria ſervare poſſint; neque enim plura de iis dici opus eſt. Proinde cum oppidani in duas hafce ſint diviſi partes: alii, ut neque vi imperare velint, neque ſervire cuiquam, ſed in libertate & legibus ex æquo vivere; alii, ut civibus imperare cupiant, & alteri parere, per quemcunque id ſe conſecuturos putarint: ii qui illius ſectam ſequuntur, quique tyrannides & principatus concupiverunt, ubique dominantur; & urbs in qua conſtanter colatur libertas populi, haud ſcio an ulla ſit reliqua ex omnibus, (126) veſtra excepta; & ſunt, qui illius arbitratu præſunt oppidis, omnibus iis rebus, quibus negotia conficiuntur, ſuperiores; quorum illud primum omnium & maximum eſt, quod præbitorem habent, ad eos corrumpendos, qui pecuniam accipere volunt: alterum, & nihilo minus hoc, quod illis copiæ, quibus eorum adverſarii evertantur, quocunque tempore poſtularint, præſto ſunt. Nos vero non his modo rebus ſumus inferiores, Athenienſes, ſed nec expergefieri poſſumus, hominibus qui mandragoram, aut ſimile aliquod venenum biberunt, ſimiles. Deinde (vera enim, ut ego judico, fatenda ſunt) eo utique pacto in eam calumniam & contemptum venimus, ut qui in ipſis periculis verſantur, partim de principatu vobis contradicant, partim de concilii loco: quidam etiam ſoli potius, quam vobis adjutoribus, ſe defendere decreverint. Qua tandem gratia hæc dico, & recenſeo? (neque enim, ita me amet Jupiter, omneſque dii, odium quæro)

eo, ut unuſquiſque veſtrum, Athenienſes, hoc cognoſcat, & videat, quotidianam ſegnitiem et ſocordiam, ut in privata vita, ſic etiam in urbibus, non in iis ſingulis quæ negliguntur, ſtatim animadverti, ſed in ſumma rerum occurrere. Videtis Serrium et Doriſcum: hæc enim primum neglecta ſunt poſt pacem factam, quæ multis veſtrum nec nota ſunt fortaſſe: ea tamen tum neglecta et deſpecta, perdidere Thraciam et Cerſobleptem ſocium veſtrum. Rurſus ea negligi cum videret, et nullis defendi veſtris auxiliis; ſubruit Porthmum, et tyrannidem e regione Atticæ, (127) tanquam vallum, vobis objecit in Eubœa. Hac neglecta, Megara propemodum capta fuit: nihil curaſtis, neque commoti eſtis harum rerum ulla; neque oſtendiſtis hoc, vos ei hæc non permiſſuros. Antronas largitionibus cum emiſſet, non multo poſt Orei potitus eſt. Multa prætereo, Pheras, viam ad Ambraciam, factas Elide cædes, alia infinita. Non enim ut enumerarem vi ſubactos et injuriis affectos a Philippo, hæc recenſui: ſed ut hoc vobis oſtenderem, non deſiturum omnes mortales vexare, omnia ſuæ ditionis facere Philippum, niſi quis eum prohibuerit. Sunt autem quidam, qui, priuſquam rem perfecte audierint, ſtatim interrogare ſoleant: Quid igitur eſt agendum? non ut eo audito, faciant (omnium enim utiliſſimi eſſent) ſed ut audiendi moleſtia liberentur. Dicendum tamen eſt, quid ſit agendum. Primum, Athenienſes, hoc certo apud vos ſtatuetis: Philippum bellum gerere cum noſtra republica, et ſolviſſe pacem, et malevolum atque hoſtem eſſe toti urbi, et urbis ſolo; addam etiam diis urbanis, qui eum eradicent: cum nulla re tamen æque bellum gerere, ut cum forma reipublicæ; neque per inſidias quicquam aliud omnium moliri ac meditari magis, quam ut eam deſtruat, idque neceſſario quodammodo nunc quidem agit. Quod ſic intelligetis: imperare vult: ejus rei æmulos et adverſarios ſolos eſſe vos exiſtimat.

Injurius eſt longo jam tempore: idque ſibi eſt optime conſcius. Quæ enim veſtra ſunt, iis utitur ad omnia cætera defendenda, et tuto tenenda. (128) Si enim Amphipolim et Potidæam amitteret; ne in Macedonia quidem tuto ſe manere poſſe exiſtimaret. Utrumque igitur ſcit, et ſe vobis inſidiari, et vos id animadvertere. Quia vero vos cordatos eſſe viros putat: jure ſe vobis inviſum eſſe cenſet. Præter hæc tam multa, compertum habet, etſi cæterorum omnium potiatur, ſe, dum popularis ſtatus apud vos fuerit, nihil firmi habiturum: ſed, ſi quam cladem aliquando acceperit (multæ autem homini accidere poſſunt) fore, ut qui nunc vi tenentur, veniant, & ad vos confugiant. Non enim vos eſtis ipſi ad avaritiam & dominatum vi obtinendum a natura bene parati; ſed ad impediendum alium, quo minus & potiatur, & ſi teneat, ut eripiatis: denique ad vexandos imperii cupidos, & omnes homines in libertatem aſſerendos, inſtructi. Non igitur vult veſtram libertatem ſibi in rebus adverſis eſſe formidoloſam. In quo non malæ, nec ignavæ ſunt ejus rationes. Primum igitur hac de cauſa hoſtis reipublicæ eſt exiſtimandus, & popularis ſtatus, irreconciliabilis. Secundo loco certo tenendum, eum omnia quæ molitur atque apparat nunc, contra noſtram urbem apparare. Neque enim quiſquam veſtrum ita væcors eſt, ut Philippum exiſtimet, mala in Thracia (quo enim alio nomine appelles Drongilum & Cabylen, et Maſtiram, et ea quæ nunc tenere dicitur?) hæc inquam eum appetere, et ut ea obtineat, et labores et hyemes et extrema pericula tolerare: Athenienſes autem portus, et navalia, et triremes, et argentifodinas, et tantos reditus, et locum et gloriam (quibus abſit ut vel ille, vel quiſquam alius, (129) urbe noſtra ſubacta, potiatur) non deſiderare: ſed futurum eſſe, ut hæc vos habere ſinat: propter panicum autem et ſiliginem in Thraciis ſpecubus conditam, in Barathro hybernaturum? Non hæc ita ſunt. Sed et illa, quo

his potiatur, et reliqua molitur omnia. Hæc igitur unusquisque scire et tenere debet: neque jubere medius fidius, ut bellum decernat is, qui optimo animo utilissima suadet. Id enim eorum est, qui detrectandi belli causam quærunt: non qui ea, quæ sint ex usu reipublicæ, agere decreverunt. Videtis enim, si quis propter ea, in quibus Philippum secundum, aut tertium, fœdus violarat (multa enim ordine sunt) decrevisset, ei bellum esse inferendum; is vero æque ut nunc, nemine Athenienſium bellum decernente, Cardianis opem tulisset: an non abreptus esset e medio decreti autor, et omnes questi essent, Philippum propter hoc decretum Cardianis opem tulisse? Ne igitur quæritote, quem pro Philippi delictis oderitis, et illius mercenariis dilaniandum objiciatis; neque, si bellum ipsi decreveritis, velitis inter vos disceptare, utrum id vos fecisse decuerit, vel non decuerit; sed quemadmodum ille bellum infert, ita vos propulsate: iis qui nunc propulsant, pecuniam date, et cætera quibus egent; ipsi autem tributum conferte, Athenienses, et comparate exercitum, triremes celeres, equos, hippagines, et cætera quæ ad bellum requiruntur. Ut enim nunc res administramus, ridiculum est. Quin ipsum etiam Philippum, ita me dii ament, optare puto, ut non aliud agat respublica nostra, quam quæ nunc agitis: (130) cessatis, sumptus facitis, cui res mandetis quæritis, succensetis, alius alium accusatis. Unde autem ista fiant, ego docebo: et quomodo compescenda sint, dicam. Nihil unquam, Athenienses, ab initio recte instituistis, aut instruxistis; sed eventum semper affectamini: denique, si serius veniſtis, cessatis. Rursus si quid aliud evenerit, instruitis vos, et tumultuamini: quum non ita sit agendum. Neque enim fieri potest, ut mittendis auxiliis quicquam recte unquam conficiatur: sed comparandus exercitus est, et huic de commeatu prospiciendum, et publici quæstores constituendi, et ea ratio inunda, qua quam accuratissime potest, pecunia custodi-

cuſtodiatur. Sic agendum eſt, et expenſi rationes a quæſtoribus repoſcendæ, rerum geſtarum, a duce: neque navigandi alio, aut aliquid aliud agendi cauſa ulla duci relinquenda. Quod ſi ſic feceritis, et hoc volueritis; revera juſtam ſervare pacem, et manere domi, ſuoque contentum vivere Philippum cogetis, aut bellum ex æquo geretis. Et fortaſſis, Athenienſes, fortaſſis, ut vos nunc ſciſcitamini, Quid agit Philippus? quo proficiſcitur? ſic & ille ſolicitus erit, quo noſtræ urbis copiæ ſe contulerint, quo erupturæ ſint? Quod ſi cui videntur hæc et magni ſumptus, et laboris ingentis atque occupationis eſſe: omnino recte videntur. (Neceſſe enim, neceſſe eſt, multas oriri e bello moleſtias) ſed ſi reputet, quæ reipubl. poſt eventura ſint, niſi hæc facere voluerit: inveniet expedire, ut officium ultro faciamus. Nam ſi quis deorum ſponſor nobis ſit (neque enim mortalium ulli tanta de re fides haberi poteſt) eum, ſi vos otium agatis, (131) et negligatis omnia, non tandem vos ipſos invaſurum: turpe tamen fuerit (ita me amet Jupiter, omneſque dii) et indignum vobis, et autoritate civitatis, et rerum a majoribus geſtarum gloria, propter veſtrum otium alios Græcos univerſos objicere ſervituti. Atque egomet emori me malim, quam hujus conſilii eſſe autorem. Verum ſi quis alius id dicet, vobiſque perſuadet, eſto: ne defendite vos, amittite omnia. Sin hoc nemini conſultum videtur, ſed contrarium præſcimus omnes, quo pluribus eum potiri ſinamus, eo nos acriorem illum et potentiorem hoſtem habituros: quid tergiverſamur? quid ceſſamus? quando, Athenienſes, officio fungi volemus? quando, mehercule, neceſſitas aliqua fuerit? Sed quæ liberorum hominum neceſſitas dici queat, ea non modo jam adeſt, ſed olim etiam præteriit: at ſervilis illa, ne quando ingruat, optandum eſt. Quid vero intereſt? quod ingenuo homini maxima eſt neceſſitas, rerum geſtarum dedecus, eaque major haud ſcio an ulla ſit: ſervo autem

plagæ, et corporis cruciatus; quod abſit ut fiat, et dictu indignum eſt. Ac illud quidem, Athenienſes, ad ea eſſe ſegnes et tardos, quæ corporibus et facultatibus præſtanda reipublicæ ſunt ab omnibus: non probandum eſt ullo modo. (Neque verbis eſt opus) veruntâmen excuſationis aliquid habet. Sed nec ea quæ audienda ſunt, quæque in deliberationem cadunt, audire velle: id vero meretur omnem reprehenſionem. Vos autem nec audire, priuſquam res ipſæ adſint, ut nunc; (132) nec ulla de re deliberare ſoletis per otium: ſed dum ille ſe contra vos inſtruit, idem agere, et viciſſim inſtrui ceſſatis: et ſi quis aliquid tale dixerit, ejicitis. Poſtquam autem periiſſe, aut obſideri aliquid intellexiſtis: tum demum auditis, et inſtruimini. Fuiſſet autem audiendi tempus, et comparandi ſeſe, tum, cum vos noluiſtis: rei autem gerendæ, et utendi apparatu, nunc cum auditis. Itaque his moribus ſoli mortalium omnium, contra quam alii ſolent, factitatis. Nam omnes alii homines ante negotia deliberare ſolent: vos, poſt negotia. Quod igitur eſt reliquum, et olim factum oportuit, ſed neque nunc ſerum eſt, id dicam. Nihil omnium rerum, ad ea negotia quæ inſtant reipublicæ, perinde eſt opus, ut pecunia. Ultro autem felicitas quædam nobis offertur: qua ſi recte utamur, fortaſſis etiam nunc aliquid utile confici poterit. Primum enim, quibus rex Perſarum fidem habet, quoſque de ſe bene eſſe meritos putat; hi oderunt, et bello infeſtant Philippum. Deinde qui adjutor et conſcius fuit omnium Philippi contra Perſarum regem inſtructionum, is abreptus eſt, et omnem rem non nobis accuſantibus rex audiet, quos propter privatam utilitatem verba facere putaverit: ſed ex eo qui ipſe egit, et adminiſtravit. Quare fides habebitur accuſationibus, et ea veſtris legatis reliqua erit oratio, qua rex maxime delectabitur: eum qui utroſque læſerit, communiter eſſe ulciſcendum: dicent, regi multo fore formidabiliorem Philippum,

ſi

si nos priores invaserit. (133) Si quid enim nobis derelictis acciderit, secure in illum esse impetum facturum. Propter hæc igitur omnia, censeo legatos esse mittendos, qui cum rege colloquantur; et simplicitatem istam deponendam, quæ vobis sæpe detrimento fuit: enimvero barbarus est, & communis omnium hostis, et reliqua ejus generis omnia. Ego enim, cum video esse quosdam, qui illum qui Susis et Ecbatanis degit, metuant, et reipub. male velle dicant: qui prius etiam ad rempub. nostram erigendam adjutor fuit, & nuper pollicebatur (quod si vos non accepistis, sed senatusconsulto repudiastis, per illum quidem non stetit) de eo autem, qui in foribus adeo, prope in media Græcia, crescit, prædone Græcorum, aliud aliquid dicat: demiror, eumque metuo, quisquis ille sit, cum ipse Philippum non metuat. Est & alia res quæ reipublicæ nocet, injusta maledicentia, verbisque non convenientibus adducta in invidiam: quæ iis occasionem, qui nihil æqui agere volunt in republica, suppeditat. Denique omnium quæ desunt, cum id ab aliquo fieri oporteat, in eam rem transferri culpam invenietis. De qua omnino dicere vereor, sed dicam tamen. Puto enim me habiturum, quod ad reipublicæ utilitatem, & pro pauperibus contra divites dicam, & pro locupletibus contra egenos: si sublatis e medio convitiis, quæ propter theatralem pecuniam quidam iniqui dicunt: & timore illo, non sine magno malo posse hoc consistere, omisso, audiveritis: quo nihil majus ad res gerendas conferre, nihil quod totam urbem majus corroboret, (134) præstare possumus. Sic autem considerate, verum priore loco de iis dicam, quos premi apparet inopia. Non ita olim vectigalia nostræ civitatis centum & triginta talenta non superabant: et nemo ex iis erat, qui triremi præesse, aut conferre tributum poterat, qui non sua sponte sibi faciendum officium putaret, quod pecuniæ copia non erat. Nam et triremes instructæ ibant,

bant, et pecunia in promptu erat, & omni officio fungebamur. Post hæc Fortunæ benignitas auxit rempublicam, ut talenta pro centum illis quadraginta redeant, sine ullo divitum detrimento, sed cum eorum emolumento potius. Divites enim omnes veniunt in partem eorum: et recte faciunt. Qui fit igitur, ut id aliis alii exprobremus, et per eam speciem, facere quæ decent, recusemus? nisi forte auxilium pauperibus a Fortuna oblatum invidemus: quos nec ipse reprehendo, nec censeo reprehendendos. Neque enim in privatis familiis adolescentem erga seniores ita affectum esse video, neque adeo vecordem aut ineptum quenquam omnium, ut, nisi omnes ea agant, quæ ipse agit, se quoque neget acturum esse quicquam. Is enim tum legibus malæ tractationis teneretur. Decere enim censeo, constitutam ab utraque stipem, et a natura, et a lege, juste reddi, et ultro pendi. Sicut igitur uniuscujusque nostrum parens est aliquis; sic universæ civitatis communes parentes cives universi sunt existimandi: atque adeo non eripiendum eis quicquam est, quod respublica largitur: ut, si horum nihil fieret, eis aliunde prospiciendum esset, (135) ne qua re egerent. Quod si locupletes in hac sententia sint, eos non modo æqua facturos puto, sed utilia quoque. Nam rebus necessariis publice fraudare aliquos, id efficere est, ut reipublicæ multi male velint. Inopibus autem suaserim, ut quæ res locupletibus oneri est, et de qua haud injuria queruntur, eam removerent. Progrediar autem eodem modo, quo dudum, et pro divitum defensione vera dicere non dubitabo. Mihi enim nemo ita inhumanus, aut crudeli animo esse videtur, nedum Athenienſium, sed nec cæterorum; ut pauperes et rerum necessariarum egenos, capere ista cum videt, ægre ferat. Sed ubi colliditur res? in quo est difficultas? cum institutum illud a publico ad privatum transferre vident quosdam, et magnum esse statim apud vos ejus sententiæ autorem,

et

et (quod ad ſecuritatem quidem attinet) immortalem: atque aliud eſſe occultum ſuffragium a manifeſto plauſu, hæc diffidentiam, hæc iracundiam movent. Eſt enim, Athenienſes, ex æquo et bono colenda reipub. ſocietas: ita uti divites vitam fortunaſque ſuas in tuto collocatas eſſe putent, deque iis non ſolicitentur: in periculis autem, ut pro patriæ ſalute opes ſuas in commune conferant. Reliqui, ut communia pro communibus habeant, iiſque pro portione fruantur: privata vero, pro propriis poſſeſſoris. Sic et parva urbs magna fit, et magna conſervatur. Quæ igitur ab utriſque præſtanda eſſe videantur, hæc fere ſunt. Quo autem pacto rite fieri queant, diſtinctius eſt explicandum. Sunt horum negotiorum (136) et perturbationis multæ jam olim collectæ cauſæ, quas, ſi vobis audire cordi eſt, narrabo. Emoti eſtis, Athenienſes, ex eo fundamento, in quo vos majores veſtri collocarunt: ac præeſſe Græcis, et legionibus inſtructis, omnes affectos injuriis adjuvare, ſupervacanei et inanis eſſe ſumptus: perſuaſum vobis ab iis eſt, quorum iſtæ ſunt in republica actiones: otium autem agere, et nuſquam officio fungi, ſed ſingulatim omnia projicere, et finere ut alii ea intercipiant, admirabilem felicitatem, et rem nullo cum periculo eſſe conjunctam putatis. Quæ dum fiunt, alius occupavit eum locum, quem vos tenere oportebat: is felix, et magnus, et multorum dominus evaſit; idque merito. Rem enim magnam et honorificam, et ſplendidam, de qua omni tempore maximæ urbes inter ſe contenderunt: poſtquam et Lacedæmonii eadem acceperunt, et Thebani Phocenſi bello occupati ſunt, et vos negligitis, deſertam ſuſcepit. Proinde formido ad alios, multitudo ſociorum et magnitudo potentiæ ad eum devenit; tantiſque et talibus rebus Græci jam circumventi ſunt univerſi: ut etiam quid conſuli debeat, non ſit in promptu. Quanquam autem, Athenienſes, hæ res, ut ego judico, omnibus ſunt formidoloſæ, nulli tamen

omnium

omnium in majore ſunt periculo quam vos: non eo tantum, quod vobis Philippus potiſſimum inſidiatur, ſed ob illud etiam quod omnium eſtis ignaviſſimi. Quod ſi rerum venalium copiam et annonæ in foro ubertatem intuentes, iis deliniti eſtis, tanquam extra omne periculum ſit reſpublica: (137) neque convenienter, neque recte rem judicatis. Forum enim et celebritas vel male vel bene inſtructa, ex his rebus æſtimari queat. Urbs autem, quam perpetuo Græcis imperare velle, ac vel ſolam adverſaturam, et libertatis omnium defenſionem ſuſcepturam cenſeas: non, ita me Deus amet, e rerum venalium copia et utilitate æſtimanda eſt: ſed illud videndum, an ſociorum benevolentia freta ſit? an armis valeat? hæc in urbe conſideranda ſunt. Quæ male ſe apud vos: et non belle univerſa habent: idque ea ratione intelligetis, ſi cogitabitis, quando perturbatiſſimus fuerit Græciæ ſtatus? nullum certe tempus hoc fuiſſe perturbatius quiſquam dicet. Omni enim ſuperiori ætate in duas has factiones diviſi fuerunt Græci, Lacedæmonios, et vos; cæteri autem Græci partim nobis, partim illis obediebant, regi vero Perſarum per ſe quidem æque apud omnes nulla erat fides: ſed bello victis ſibi adjungendis, tantiſper fidem inveniebat, dum horum opes alteris æquaſſet. Poſt, iis quos conſervarat, non minus erat inviſus, quam veteribus inimicis. Nunc vero rex Perſarum omnibus Græcis eſt conjunctus, nobiſcum autem minime omnium: niſi nunc ex parte correxerimus. Deinde patrocinia multa ſunt, et undelibet conciliantur: etſi autem principatum omnes ſibi vendicant, deſciſcunt tamen quidam, et invident, et diffidunt inter ſe, ſecus quam oportebat: divulſique ſunt ſinguli, Argivi, Thebani, Corinthii, Lacedæmonii, Arcades, nos; ſed tamen, cum in tot partes et tot principatus res Græcorum ſint diremptæ; ſi verum libere dicendum eſt, (138) apud horum neminem curias et prætoria magis deſerta videas a Græcorum negotiis,

gotiis, quam noſtratia: merito: neque enim ſive amet, ſive confidat, ſive metuat, quiſquam vos appellat. Cauſa vero harum rerum eſt non una, Athenienſes, (nam alioqui facile mutaremus) ſed multa et varia commiſſa ab omni ævo delicta ſunt: quorum ſingulis omiſſis, unum quo omnia tendunt, dicam; precatus a vobis, ſi vera libere dixero, ne mihi ſuccenſeatis. Quæcunque ferunt rei gerendæ occaſiones, a proditoribus venditæ ſunt; atque otii ſane vos et tranquillitatis participes fuiſtis: quibus deliniti, dum iis qui vos lædunt, non graviter iraſcimini, alii honores abſtulerunt. Ac quæ ad cætera quidem attinent, ea non eſt exquirere nunc operæpretium: ſed ubi aliqua Philippi mentio inciderit, ſtatim quidam ſurgens dicit: Non eſſe nugandum, nec decernendum bellum: atque ordine collationem inſtituit: In pace vivere quam præclarum? et, Magnum alere exercitum, quam difficile? et, Quidam diripere volunt ærarium: aliaſque fabulas narrant, ut opinantur, veriſſimas. Verum pacem ut ſervetis, non vobis certe eſt perſuadendum, quibus perſuaſum eſt: ſed illi, qui rei militari vacat. Cui perſuaſum ſi fuerit, in vobis ſane mora nulla erit. Moleſta autem exiſtimanda ſunt, non quæ tuendæ ſalutis cauſa inſumpſerimus; ſed ea quæ perferemus, niſi hæc facere voluerimus: ac direptio ærarii, inventa cuſtodia qua conſervetur, prohibenda eſt, non deſertione utilitatis. Quanquam idipſum iniquo animo fero, ſi veſtrum quibuſdam pecuniæ direptio eſt moleſta; quam vobis & cuſtodire, & peculatores punire licet: (139) Philippus autem Græciam univerſam ordine ſic diripiens, eamque cum veſtro periculo diripiens, non eſt moleſtus. Qui fit igitur, Athenienſes, ut eum qui tam aperte injurias facit, et urbes occupat, nemo unquam injuſte facere, aut movere bellum dixerit: qui vero non concedenda, neque negligenda hæc eſſe ſuadent, eos bellum facere dicant? Quod cauſam ſecuturarum e bello difficultatum

cultatum (necesse enim, necesse est multas oriri e bello molestias) in eos, qui vestra causa optima dicere solent, universi conferre volunt. Censent enim, si vos concorditer unoque animo Philippum ulciscamini; & illum superatum iri a vobis, & se, a quo mercedem accipiant, non habituros. Sin a primis tumultibus irati aliquibus, ad exercenda judicia convertamini: tum se iis accusandis utrumque consecuturos, & laudationem a vobis, & largitionem ab illo: tum vos, ob ea propter quæ ipsi mulctandi essent, pœnas de vestris defensoribus sumpturos. Ac spes quidem istorum hæc sunt. Hinc illud est ut dicant, velle aliquos bellum facere. Ego vero exploratum habeo, cum Athenienſium nemo bellum decreviſſet, tum alia multa quæ nostræ urbis sunt, tenere Philippum, tum nunc auxilia misisse Cardiam. Quod si nos dissimulare volumus, eum bellum gerere nobiscum; mortalium omnium stolidissimus esset, si id coargueret. Nam si violati negant, quid est violanti faciendum? Sed ubi nos ipsos invaserit, quid tum dicemus? Ille quidem se bellum gerere negabit; sicut Olitis dixit, militibus in eorum agro versantibus: (140) nec Pheræis, priusquam in mœnia faceret impetum: nec Olynthiis ab initio, donec in ipsorum agro cum exercitu adesset: num tum quoque dicemus, eos qui vim propulsare jubent, concitare bellum? Proinde illud restat, ut serviamus, neque enim quicquam est tertium. Neque vero nos in iisdem quibus alii discriminibus versamur. Non enim subigere nostram urbem vult Philippus: non, sed funditus evertere. Satis enim intelligit, servire vos neque velle: neque si velitis, posse; nam imperare consueviſtis. Negotia vero ei facessere, si detur occasio, posse, plura quam cæteros homines omnes. Quapropter vobis non parcet, si in potestatem suam redegerit. Tanquam igitur de aris & focis decertandum sit, sic statuendum vobis est: & qui se illi aperte vendiderunt, odio prosequendi

ſequendi, & in cruciatum abripiendi. Non enim poſſunt, non poſſunt externi hoſtes ſuperari, antequam domeſticos hoſtes puniveritis. Alioqui nequit fieri, dum in hos tanquam ſcopulos impingitis, quin ſitis illis poſteriores. Undenam enim putatis eum nunc in vos eſſe contumelioſum? Nam quid faciat, ſi hoc non facit, equidem non video: qui cum alios bene faciendo, ſi nihil aliud, ſeducat, vobis jam minatur? veluti, Theſſalos multis beneficiis pellexit in hanc ſervitutem: neque dicendo quiſquam conſequi poſſit, quam multis rebus infelices Olynthios, data prius Potidæa, multiſque aliis, deceperit. Thebanos nunc pellicit, Bœotia eis tradita, poſteaquam eos bello magno & difficili liberavit. Proinde hi omnes emolumento aliquo percepto, partim jam ea perpeſſi ſunt, quæ omnes ſciunt: (141) partim quicquid tandem caſus tulerit, ferent. Vobis autem erepta quæ ſint, taceo: ſed in ipſa pacificatione quantis fraudati eſtis? quantis ſpoliati? nonne Phocenſibus? nonne Pylis? nonne in Thracia, Doriſco, Serrio, Cherſoblepte ipſo? nonne Cardiam nunc habet, & confitetur? Cur igitur eo modo cum illis, & alia ratione vobiſcum agit? quod in ſola noſtra republica inter omnes impunitas agendæ hoſtium cauſæ datur: & ſi quis pecuniam acceperit, tuto apud vos dicendi poteſtatem habet, etſi veſtris opibus ſpoliati ſitis. Non tutum Olynthi fuiſſet, cauſam Philippi agere, niſi beneficii partem aliquam multitudo Olynthiorum e Potidææ fructibus percepiſſet. Non licuiſſet in Theſſalia cauſam Philippi agere, niſi ad multitudinem Theſſalorum, ejectis a Philippo tyrannis, & Pylæa reſtituta, beneficii pars perveniſſet. Non fuiſſet Thebis tutum ante redditam Bœotiam, & Phocenſes deletos. Sed Athenis, cum non modo Amphipolim & Cardianorum regionem Philippus eripuerit, ſed & Eubœam contra nos tanquam arcem munierit, & nunc ad Byzantium accedat: tutum eſt defendere Philippum. Itaque iſ-

torum aliqui e mendicis repente facti ſunt divites: ex ignobilibus & obſcuris, clari atque illuſtres: vos contra, e claris obſcuri, e locupletibus egentes. Urbis enim opes ego eſſe exiſtimo, ſocios, fidem, benevolentiam: quorum vos omnium eſtis inopes. Quæ quia negligitis, & ad iſtum modum res ferri ſinitis: ut ille beatus (142) & magnus & formidoloſus eſt omnibus Græcis & Barbaris: ita vos deſerti & humiles: proſperitate fori & annonæ ſplendidi; rerum earum quæ requiruntur inſtructione ridiculi. Non autem eodem modo quoſdam oratorum & vobis & ſibimetipſis conſulere video. Vos enim quieſcere jubent, tametſi vos aliquis violarit: quum ipſi apud vos quieſcere non poſſint, nemine eos violante. Quod ſi quis ſine convitio roget, Dic mihi, quamobrem, cum exploratum habeas Ariſtodemi (nemo enim talia ignorat) ut privatorum hominum vitam eſſe tutam & otioſam, & extra periculum poſitam: ſic eorum, qui verſantur in republica, criminoſam, & lubricam, & quotidianorum certaminum, & malorum plenam: non quietam & otioſam, ſed periculoſam amplecteris? Quid reſpondeas? Nam ſi (quod optimum dicere poſſes, id te vere dicere concederemus) te honoris & gloriæ ſtudio iſta facere omnia: demiror equidem, cur tibi propter iſta facienda eſſe omnia cenſeas, neque ullum vel laborem vel periculum recuſandum: reipub. autem ſis autor, hæc per ſocordiam ut amittat? Neque enim illud dices, te oportere in repub. eſſe conſpicuum: reipub. nullam eſſe oportere apud Græcos autoritatem. Quin nec illud video, reipub. tutum eſſe ſuum agere negotium: ſibi periculoſum, niſi te in aliena negotia curioſe ingeſſeris. Imo contra tibi ex factis tuis & curioſitate, extrema impendere pericula, reipub. ex otio. At hercule avita & patria gloria te excitat, quam tibi turpe fuerit amittere: (143) reſpublica vero nullam claritatem & celebritatem accepit

accepit a majoribus? Sed ne hoc quidem ita ſe habet. Tibi quidem peculator fuit pater, ſiquidem ſimilis fuit tibi: a repub. vero noſtra, ut omnes ſciunt, Græci bis e maximis periculis, majorum noſtrorum temporibus, ſunt liberati. Verum non æqualiter neque civiliter ſua quidam & publica adminiſtrant. Quo pacto enim æquum eſt, iſtorum quoſdam e carcere progreſſos, ſemetipſos ignorare: rempub. autem, quæ aliis Græcis hactenus præfuit, & principatum obtinuit, nunc in obſcuritate omni & humilitate verſari? Etſi autem habeo præterea quæ dicam multa, & de multis; deſinam: neque enim penuria verborum vel nunc, vel unquam alias, malus mihi rerum eſſe ſtatus videtur: ſed cum vos audiviſtis omnia quæ expediunt, & in eo conſentitis, ea recte dici: eos qui interturbare illa & pervertere ſtudent, ex æquo in hoc conſeſſu auditis, cum non ignoretis eos. E primo enim aſpectu certo ſcitis, qui mercede concionetur, & quis in repub. Philippo ſubſerviat, & quis revera conſultum rebus eſſe cupiat: & quis id agat, ut his reprehenſis, re in riſum & convitium verſa, nihil ipſi quod ad rem faciat, faciatis. Hæc vera ſunt, magna cum libertate, ſimpliciter, ex benevolentia, rectiſſime dicta: non aſſentationis & detrimenti & impoſturæ plena oratio: argentum allatura dicenti, reipub. negotia hoſtibus traditura. Aut igitur a talibus moribus eſt recedendum: aut depravatio & clades rerum omnium aſcribenda nemini, quam vobis ipſis.

FINIS.

18 JY 64

Lately publiſhed; printed for AARON WARD, *at the* King's Arms *in* Little-Britain.

A Neat and Correct Edition (Recommended by no leſs than Thirty-ſix Eminent School-Maſters) of

I. NOmenclatura Trilinguis Anglo-Latino-Græca: Or, a ſhort Vocabulary, Engliſh, Latin, and Greek. Containing Nouns Subſtantive, Adjective, with their Genders and Declenſions. Verbs with their ſeveral Conjugations. With the Quantities of doubtful Syllables. To which is added, A Collection of ſententious Proverbs. With Examples of the Five Declenſions of Latin Nouns, eſpecially Heteroclite; and for Declining of Greek Nouns Latinized. Compoſed for the Benefit of the Engliſh Youth, by P. K. The Twelfth Edition, carefully Reviſed and Corrected, by R. C. Containing many Hundred Words more than any other Book. Price Bound One Shilling.

II. Exemplaria Latino-Anglica: Or, the true Method of Tranſlating and Imitating the Latin Claſſics in an accurate and elegant Manner, exemplified and illuſtrated by Double Tranſlations. Being a Collection of Paſſages taken from the beſt Roman Writers, with the original Words to the ſeveral Examples, either in the Order of Syntax, or of the Authors themſelves; and to many of them in both: And the elliptical Words, whether in Engliſh or Latin, ſupplied in ſuch a Manner as to ſhew wherein the main Difference in the Idiom of the two Languages conſiſts. With Rules for rendering Latin into Engliſh, as well as Engliſh into Latin, and thereby attaining to a juſt and proper Style in both. And a Preface, explaining the Nature and Uſe of the Work. By J. WORSLEY, of *Hertford*. Price Bound One Shilling and Sixpence.

III. Greek Particles Engliſh'd. Together with a ſmall Lexicon, explaining the Words uſed in the Examples. Price Bound One Shilling.

BOOKS *Printed for* C. HITCH, *at the* Red-Lion *in* Pater-Noſter-Row, LONDON.

Lately publiſhed, for the Uſe of SCHOOLS.

1. THE Method of Teaching and Studying the BELLES LETTRES: Or, an Introduction to Languages, Poetry, Rhetoric, Hiſtory, Moral Philoſophy, Phyſick, *&c.* With Reflexions on Taſte, and Inſtructions with regard to the Eloquence of the Pulpit, the Bar, and the Stage. The whole illuſtrated with Paſſages from the moſt famous Poets and Orators, ancient and modern, with critical Remarks on them. By Mr. ROLLIN, late Principal of the Univerſity of *Paris*. Tranſlated from the *French*. The Third Edition. In four neat Pocket Volumes. Price Twelve Shillings.

2. Selectæ è Veteri Teſtamento Hiſtoriæ, ad uſum eorum qui Latinæ Linguæ rudimentis imbuuntur. Price One Shilling and Sixpence.

3. Selectæ è Profanis Scriptoribus Hiſtoriæ, quibus admiſta ſunt varia honeſtè vivendi præcepta ex iiſdem Scriptoribus deprompta. Price 2*s.* 6*d.*

Mr. ROLLIN, in his *Belles Lettres*, Vol. I. Page 8. gives the following Recommendation of the foregoing.

I know of no Book, which may be more uſeful, and at the ſame Time more agreeable to Youth. It contains excellent Principles of Morality, collected with great Order and Judgment; with very affecting Paſſages of Hiſtory upon every Article. I know ſome very conſiderable Perſons who acknowledge themſelves to have found a great deal of Pleaſure in reading it.

4. Publii

4. Publii Ovidii Naſonis de Triſtibus Libri Quinque, ſive Analyſis Ovidiani; ordine Proſaico ad verbum, Paraphraſe ulla conſtrictior, & ad mentem Puerorum (oratione Soluta) inſtruendam facillima, Notis, tam ad artem Grammaticam & Rhetoricam quam ad Poeticam melius intelligendam, apprime neceſſariis, nova Methodo initiante illuſtrata. Huic Editioni novæ etiam accedit Index vocum difficiliorum Etymologicus. Opera Oſwaldi Dyke. Price 2*s.* 6*d.*

5. Sententiæ Græcæ è variis Græcorum libris hinc inde excerptæ. Quibus adduntur aureæ Carmina Pythagoræ, & Epitaphium Adonidis, Bione Smyrneo Authore, in uſum imprimis eorum qui Græcarum literarum ſunt rudes. J. R. A. M. Editio Secunda. Price 1*s.* 6*d.*

6. A Diſſertation upon the Uſefulneſs of Tranſlations of Claſſic Authors, both Literal and Free, for the eaſy and expeditious Attainment of the Latin Tongue, being an Extract from the *Eſſay upon Education*, and other Books, publiſhed by Mr. CLARKE, late School-Maſter of *Hull*. But very much enlarged with further Thoughts upon the Subject. Humbly offered to the Conſideration of the Learned, in order to a Reformation of the vulgar Method of proceeding in Grammar-Schools, as to that important Article of Education, the Teaching of the *Latin Tongue*.

BOOKS lately publiſhed, and printed for J. NEWTON, *in* Little-Britain.

MEDICINA STATICA. Being the Aphoriſms of *Sanctorius*. Tranſlated into Engliſh, with large Explanations. To which is added, Dr. Keil's *Medicina Statica Britannica*, with comparative Remarks and Explanations. As alſo, Medico-Phyſical Eſſays on I. Agues. II. Fevers. III. An Elaſtic Fibre. IV. The Gout. V. Leproſy. VI. King's Evil. VII. The Venereal Diſeaſe. By JOHN QUINCY, M. D.

— Eraſmi Enchiridion, Militis Chriſtianæ,
— Clavis Gramatica,
— Horn de uſu Authoris, Schichard's Heb. Gram.
— Heylin's Help to Hiſtory,
— Laurentii Vallæ de Linguæ. Latine Elegantia Libri Sex.

M. T. Ciceronis de Officiis Libri tres, cum Notis Minellii.

Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ Defenſio. Jo. Ellis.

Where may be had,

All Sorts of School-Books; and Ready Money for any Library, or Parcel of Books.

18 JY 64